



INSTITUTIONES FUNDAMENTALES

LINGUAE ARAMAICAE

SEU

DIALECTORUM CHALDAICAE AC SYRIACAE

IN USUM JUVENTUTIS ACADEMICAE

EDITAE A

DR. HERMANNO ZSCHOKKE

LINGUARUM SEMITICARUM NEC NON BIBLICAE VETERIS FOEDERIS EXEGESEOS SUBLIMIORIS IN UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS FACULTATE THEOLOGICA C. R. PROFESSORE PUBLICO, C. R. CAPELLANO AULICO, ET SOCIETATIS GERMANICO-ORIENTALIS LIPSIAE MEMBRO ETC.

VINDOBONAE MDCCCLXX.

SUMTIBUS GUILELMI BRAUMÜLLER

BIBLIOPOLAE C. R. AULAE ET UNIVERSITATIS.

Im Verlage
von Wilhelm Braumüller, k. k. Hof- und Universitätsbuchhändler in Wien
sind erschienen:

Von demselben Verfasser:

INSTITUTIONES FUNDAMENTALES

LINGUAE ARABICAE

in usum juventutis academicae.

gr. 8. 1869. Preis: 3 fl. — 2 Thlr.

Von demselben Verfasser:

Führer

durch das heilige Land

für Pilger.

Nebst einer Karte.

8. 1868. Preis: 2 fl. 50 kr. — 1 Thlr. 20 Ngr.
In Leinwand gebunden: 3 fl. — 2 Thlr.

Handbuch

der mittelgälischen Sprache

hauptsächlich Ossian's.

Grammatik. — Lesestücke. — Wörterbuch

von

Dr. August Ebrard

in Erlangen.

Mit einem Vorwort von Professor Dr. G. Authenrieth.

gr. 8. 1870. Preis: 4 fl. — 2 Thlr. 20 Ngr.

Grammatik

der classischen armenischen Sprache

von

Dr. M. Lauer

in Trier.

gr. 8. 1869. Preis: 1 fl. 20 kr. — 24 Ngr.

Zur Quellenkritik des Epiphanios

von

Dr. Rich. Adalb. Lipsius,

Professor an der k. k. Universität in Kiel.

gr. 8. 1865. Preis: 2 fl. — 1 Thlr. 10 Ngr.

Des Patriarchen Gennadios von Konstantinopel

Confession

kritisch untersucht und herausgegeben von

Dr. J. C. T. Otto,

o. ö. Professor an der k. k. evangelisch-theologischen Facultät in Wien

8. 1864. Preis: 50 kr. — 10 Ngr.

INSTITUTIONES FUNDAMENTALES

LINGUAE ARAMAICAE.



INSTITUTIONES FUNDAMENTALES

LINGUAE ARAMAICAE

SEU

DIALECTORUM CHALDAICAE AC SYRIACAE

IN USUM JUVENTUTIS ACADEMICAE

EDITAE A

DR. HERMANNO ZSCHOKKE

LINGUARUM SEMITICARUM NEC NON BIBLICAE VETERIS FOEDERIS EXEGESEOS SUBLIMIORIS IN UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS FACULTATE THEOLOGICA C. R. PROFESSORE PUBLICO, C. R. CAPELLANO AULICO ET SOCIETATIS GERMANICO-ORIENTALIS LIPSIAE MEMBRO ETC.



VINDOBONAE MDCCCLXX.

SUMTIBUS GUILELMI BRAUMÜLLER

BIBLIOPOLAE C. R. AULAE ET UNIVERSITATIS.

LIPSIAE, TYPIS GUIL. DRUGULINI.

ILLUSTRISSIMO

REVERENDISSIMO AC MAGNIFICO

DOMINO DOMINO

JOANNI KUTSCHKER

EPISCOPO CARRHENSI AC SUFFRAGANEO VICARIOQUE GENERALI
ARCHIDIOECESIS VINDOBONENSIS, SUAE SANCTITATIS PRAELATO DOMESTICO, PRAEPOSITO
ATQUE PRAELATO CAPITULI ECCLESIAE METROPOLITANAE AD SCT. STEPHANUM, PRAESIDI
CONSISTORII ARCHIEPISCOPALIS, DOCTORI SS. THEOLOGIAE, CANCELLARIO ET RECTORI
EMERITO C. R. UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS, C. R. CONSILIARIO MINISTERIALI,
INSIGNIS C. R. ORDINIS LEOPOLDINI COMMENDATORI, ETC. ETC.

PATRONO GRATIOSISSIMO

LIBELLUM HUNC

SUMMA VENERATIONE AC FILIALI DEVOTIONE

INSCRIBIT AC DEDICAT

HUMILLIMUS

HERMANNUS ZSCHOKKE.

BENEVOLE LECTOR!

Eadem e causa, qua motus *Institutiones fundamentales linguae arabicae* edidi, etiam hic liber prelo subjiciebatur. Cum enim in Facultate theologica c. r. Universitatis Vindobonensis Alumnos linguam aramaicam seu dialectos syriacam et chaldaicam per semestrem sub uno filo docendi mos sit hucusque conservatus, liber autem a Cl. Oberleitner: *Elementa Aramaicae seu chaldaeo-syriacae linguae, Viennae* 1820. editus una ex parte jam deficeret, altera autem desideriis et progressui, quem scientiae orientales nostris praeprimis temporibus nactae sunt, haud amplius satisfaceret, urgenti cedens necessitati ac auditores justi voti compotes faciens has Institutiones fundamentales linguae aramaicae typis edidi. Conqueri quidem minime licet de grammaticarum tum syriacae, tum chaldaicae dialecti editarum defectu, nihilominus tamen perpaucae reperiuntur, in quibus utraque dialectus una serie et modo coordinato tractatur, qui modus his in circumstantiis unice tantum est adhibendus, si tam augusto temporis spatio auditores tam fundamenta hujus linguae addiscere, quam illis instructi partes selectas utraque dialecto

scriptas interpretari debeant. Singulis quidem his dialectis insunt quaedam proprietates et idiomata, quibus tamen non obstantibus in partibus grammaticae essentialibus primariisque plane conveniunt, ita ut haud difficulter communem et coordinatam admittant expositionem.

Methodus et dispositio materiae hujus libri plane adaequant illam, quam secutus sum in *Institutionibus fundamentalibus linguae arabicae*, e qua compari tractandi ratione auditoribus magna fluet facilitas ac commoditas. Grammaticae Prolegomena de utriusque dialecti scripturâ ejusque historiâ ac literaturâ in forma brevissima praemittere opportunum duxi.

Maximas autem gratias agere obligor viro strenuo Guilelmo Braumüller bibliopolae c. r. Aulae et Universitatis, qui pro assidua sua librorum theol. vulgandorum industria utramque Grammaticam edendam in suam curam suscepit, et Guil. Drugulino typographo celebri Lipsiae, qui libros hos typis descripsit laudabiliter.

Hinc studii linguarum orientalium Tiro ac Auditor! suscipias animo benigno libellum hunc, quem corde benevolo et purissima mente in studii hujus profectum Tibi trado.

VINDOBONAE in festo Nativitatis Domini nostri 1869.

AUCTOR.

CONSPECTUS LIBRI.

PROLEGOMENA.

PARS PRIMA.

Elementa linguae et scripturae aramaica

I. Caput: De lectione ac orthographia.

II. Caput: De Consonantium et Vocalium permutationibus.

PARS SECUNDA.

Formarum doctrina.

I. Caput: De Pronomine.

II. Caput: De Verbo.

III. Caput: De Nomine.

IV. Caput: De Particulis.

PARS TERTIA.

SYNTAXIS.

Sectio prima. De singulis enunciationis partibus.

I. Caput: De Pronomine.

II. Caput: De Verbo.

III. Caput: De Nomine.

IV. Caput: De Particulis.

Sectio secunda. De enunciationum connexu.

APPENDIX.

Observationes de arte metrica Syrorum.

PROLEGOMENA.

J. D. Michaelis Abhandl. v. d. syrischen Sprache etc. Götting. 1768.

S. F. G. Wahl Allgem. Geschichte der morgl. Sprachen und Literatur. Leipzig 1784.

Aurivillius de ling. aramaea in diss. collect. a. D. Michaelis pg. 104 seq. Hal. 1784.

G. Hasse Praktisches Handbuch der Aram. Sprache. 3. Th. Jena 1791.

Gesenius Geschichte der hebr. Sprache u. Schrift. Leipzig 1815.

Kopp Bilder u. Schriften der Vorzeit. 2. B. Manh. 1819.

A. T. Hoffmann Grammat. syriac. lib. 3. Proleg. pg. 1—73. Halae 1827.

Hirzel de chaldaismi bibl. origine et auct. critica. Lips. 1830.

J. Fürst Lehrgebäude der aram. Idiome. Leipzig 1835. pg. 1—25.

Dietrich de serm. chald. proprietate. Lips. 1839.

G. Winer Grammatik des bibl. u. targ. Chaldaismus. Leipz. 1842. pg. 1—19.

J. Fürst Geschichte der bibl. Literatur. Leipzig 1867.

J. B. Wenig Schola syriaca. Oenip. 1866. Prolegom.

I. De lingua Aramaea.

Lingua, quae appellatur Aramaea, nomen ducit ab Aramaea seu Aram אֲרָם regione, cui olim erat propria, et stirpis linguarum Semiticae ramus est, nam Aram, qui et terrae nomen dedit, Semi filius erat Gen. 10, 22. Denominatio haec duplici sensu obviam venit, ita ut latiori permagnam Asiae anterioris partem eamque Assyriam, Mesopotamiam, Babyloniam, Syriam, Phoeniciam Palaestinamque complecteretur, strictiori autem sensu praecipue in codice sacro obvio hunc tractum praeter Phoeniciam et Palaestinam significaret, cujus incolae Aramaei, Ἄριμοι (*Homer*. Ilia. 2, 783. *Hesiodus* Theog. 304.) et Ἀραμαῖοι (*Strabo* Geog. L. I, 2; XI, 14), imo a Graecis et Romanis etiam Syri (quod nomen tamen serioris est. originis) nominabantur et ab his cum Assyriis pro uno populo habebantur (*Diodor*. S. II, 13. *Herod*. L. VII, 63. *Strabo* Geog. XVI, 2. *Xenophon*. Cyrop. VII, 5, 31.). Cum autem Arami posteri, qui Euphratem inter et Tigridem ac terram occidentalem hujus permagni tractus inhabitabant, se separarent ab iis, qui orientalem plagam incolebant, Aramaea vel Aram divisa fuit in partem occidentalem Mesopotamiam ac Syriam complectentem et orientalem Babyloniam Assyriamque comprehendentem, quae divisio geographica et politica etiam linguam communem in duas dialectos primarias abire fecit, quarum prior dialectus aramaea occidentalis seu syriaca, qua usi sunt Mesopotamiae Syriaeque incolae, aramaea orientalis seu babylonica (chaldaica) altera audit, quam locuti sunt Babylonii et Assyrii. Cum jam Judaei exules in Babyloniam, Assyriam et adjacentes regiones transportati essent, sensim huic dialecto orientali assuefacti sunt eamque quamvis non puram, sed cum hebraico sermone mixtam in vernaculam adoptarunt.

Not. a. Dialectus orientalis seu babylonica minus recte ac improprie tantum appellatur chaldaica, quia scilicet in ea terra.. erat vernacula, in quam Chaldaei per aliquod tempus, praeprimis inde a Nabonassare dominium exercuerant; hinc in nonnullis sacris locis (Ezech. 11, 24. Dan. 5, 30.) Babyloniis nomen Chaldaeorum inditur. Chaldaei non ad Aramaeos, sed ad gentem medo-persicam pertinuisse a nonnullis creduntur, qui proprie in Armeniae montibus habitabant, ab Assyriis autem devicti et in Babyloniae meridionalis partes translocati septimo ante Christum saeculo adeo potentes sunt facti, ut ipsis Babyloniis praevalerent. Lingua horum Chaldaeorum vix eadem fuit cum illa Babyloniorum, ast verosimiliter non adeo diversa; nam si Chaldaei כַּשְׂדִּים descendunt a Cesed, filio Nachoris (Gen. 22, 22), qui fuit Abrahami frater, facile intelligitur, eorum linguam hebraeae ideoque et aramaeae fuisse cognatam. Lingua chaldaica לְשׁוֹן כַּשְׂדִּים teste Daniele 1, 4 erat lingua aulica Nebucadnezaris regis.

Not. b. Etiam in codice sacro mentio fit linguae aramaeae אֲרָמִית; e 2. Reg. 18, 26 et Jes. 36, 11 colligere licet, tempore Jesaiae tam magistratus assyriacos quam primores Judaeorum hujus linguae fuisse gnaros. Chaldaei astrologi regem Babyloniorum aramaice alloquuntur Dan. 2, 4; et ex Esdr. 4, 7 patet, a Persarum rege negotia cum praefectis Asiae provinciarum sermone aramaeo fuisse habita.

2. Lingua aramaea omnium cognatarum est simplicissima ideoque antiquissima et merito propius, quam reliquae linguae cognatae accessisse videtur ad originalem Semitarum linguam; hoc jam inde fluit, quod Aramaei semper in suis sedibus manserunt nec coeli diversitate sunt impulsi, ut vernaculam a majoribus acceptam admodum mutarent. Rudis in consonantibus est et ob vocalium inopiam durius sonat. Praeter ea, quibus omnis Semitarum lingua ab aliis linguis differt, Aramaeo sermoni multa insunt, a cognatis dialectis aliena. Aramaei enim nominibus a parte posteriori articulum affigunt, quo (statu emphatico) saepe utuntur, qua e causa totus sermo grata soni varii suavitate caret; accedit forma propria Schaphel, significatio genitivi per Dolath, creberrimus structurae participalis usus, sibilan-

tium evitatio. Serius, fortassis jam ante exilii babylonici tempora eam πλατύστομον evasisse i. e. in plures dialectos minores diffluxisse constat.

3) Ad linguam Aramaeam pertinet etiam dialectus Samaritana, quae mixta est ex Hebraea et Aramaea simulque alias formas vocesque Cuthaeas continet, quae mixtio ex hujus populi origine facile repetitur, hinc de multorum sententia dialectus haec Aramaeae linguae filia, melius tamen, praesertim cum praeter propriam scribendi rationem etiam varia utatur singularitate, hujus soror uterina putatur. Egestas dialecti samaritanae tum in vocibus ipsis tum in earum formis satis conspicua, ex singulari gentis origine adversaque fortuna est explicanda.

4. Quarta linguae Aramaicae dialectus est lingua Zabiorum seu dialectus zabica, mandaea seu nasaraea, quae non solum scribendi genere figuraque literarum ab reliquis aramaicae linguae dialectis differt, sed et singularibus vocum formis et flexionibus.

5. Utraque dialectus Aramaea tum syriaca, tum chaldaica (quod nomen usu receptum in sensu supra explicato hic retinemus) intime est connexa ideoque in essentialibus grammaticae partibus convenit, quae sunt sequentes:

1) Consonantes praedominantur vocalibus in structura grammaticali,
2) status emphaticus loco articuli linguae hebraeae et arabicae praefixi adhibitus,
3) nota genitivi דְּ ܕ et accusativi litera לְ ܠ,
4) formatio pluralis masculini in ־ִין ـܝܢ,
5) distinctio generis in 3. persona plur. praeteriti,
6) formatio passivorum et reflexivorum praefixa syllaba את ܐܬ,

7) tertia et quarta verbi forma Aphel et Schaphel utrique propria,
8) occurrunt et imperativi passivorum,
9) duplicia participia activorum in omnibus formis cum significatione activa et passiva,
10) participia cum pronominibus junguntur ad tempora diversa formanda,
11) in fine vocum litera א loco ה praedominatur,
12) suffixa pleonastice ante genitivum ponuntur,
13) usus 3. personae pluralis activorum pro passivo,
14) formatio pronominis possessivi per דִּיל ܕܺܝܠ, addito suffixo.

Inter pauca et praecipua distinctionis signa, quibus dialectus chaldaica differre videtur a syriaca, pertinent:

1) syriaca amat vocalem *o* loco chaldaicae *a*, 2) chaldaica devitat diphthongos et literas otiantes, 3) formatio Infinitivorum (Peal excepto) chaldaicae dialecti sine מ, 4) formatio 3. pers. fut. chaldaicae י loco syriacae ܢ — quae ut veri nominis distinctionis signa a nonnullis (*Fürst*, Lehrgebd. S. 6 ff.) negantur et refutantur; idem auctor (l. c. S. 14) potius defendit, utrumque sermonem chaldaicum et syriacum non esse duas sed unam tantum dialectum hoc solo discrimine, quod chaldaicus judaeo-aramaeus, syriacus autem christiano-aramaeus sermo sit nominandus, e qua distinctione religiosa deducit, quare in illo tanti Hebraismi, in hoc autem tanti Graecismi (N. T.) occurrant.

II. De dialecto Chaldaica.

1. Sermo chaldaicus linguae Aramaeae dialectus veri nominis est, minime autem dialectus a Judaeis plane corrupta seu e syriaco et hebraeo mixta, uti volunt: *Michaelis,*

Wahl, *Hupfeld*, *de Wette* etc. *) Hac dialecto scripta sunt:

a) nonnullae A. T. librorum partes eaeque: Esra 4, 8—6, 18; 7, 12—26 et Daniel 2, 4—7, 28 (Jer. 10, 11).

b) Targumim seu paraphrases librorum A. T. a Judaeis confectae, quibus accedunt

c) dialectus talmudica, dialectus aegyptio-aramaea nec non reliquiae linguae tempore Christi in Palaestina usualis conservatae in N. T. et apud Josephum Flavium.

Not. a. Si characterem linguisticum et puritatem respicias, horum scriptorum tres ordines sunt distinguendi: in ordinem primum referendae sunt paraphrases Onkelosi in Pentateuchum omnium antiquissimae ac purissimae, quas excipit Chaldaismus biblicus, qui quasdam sermonis hebraici proprietates adoptavit; locum ultimum tenent reliquae paraphrases, quarum lingua non tantum vocibus exoticis multis est confecta sed et non paucas formationes e Syriaco vel Rabbinico mutuatas exhibet.

Not. b. Characteres dialecti aegyptiaco-aramaeae palmyrensibus valde similes sunt et in quibusdam papyri voluminibus, quae ab Aramaeis cultui aegyptiaco deditis originem petunt, inveniuntur; dialectus haec chaldaicae est proprior, quam syriacae.

Not. c. Dialectus chaldaica in Palaestina usualis iterum in duo (et si dialectum samaritanam adnumeres in tria) idiomata **) divisioni terrae in tres districtus (Galilaeam, Samariam et Judaeam) correspondentia abiit, quorum primum idioma galilaïcum nominatum valde erat corruptum et clara sonorum distinctione carebat, quae corruptio (cf. Matth. 26, 73. Marc. 14. 10.) e connexu commercioque incolarum hujus regionis cum populis finitimis facile explicatur; alterum idioma judaicum seu hierosolymitanum in Judaea et Hierosolymis usitatum, valde degenerabat et vicissitudini erat expositum; hoc idiomate scriptum est Talmud hierosolymitanum. Haec Palaestinensium lingua minus apte syro-chaldaica (quae denominatio verosimiliter ex S. Hieronymo cont. Pelag. 3, 1.

---

*) cf. Winer Grammat. l. c. S. 8.

**) Fürst Lehrg. l. c. S. 15 sq.

fuit desumta) a nonnullis appellabatur, in N. T. (Act. 21, 40; 22, 2; 26, 14. cf. Joan. Evang. 5, 2; 19, 13, 17, 20.) hebraica, in Gemara syriaca et in Mischna aramaica audit.

2. Periodus persica et graeco-macedonica huic dialecto chaldaicae persicas et graecas voces multas intulit, quibus nec paraphrases Onkelosi, nec Chaldaismus biblicus carent. Cum autem Chalifae saeculo post Christum septimo regno babylonico sunt potiti, lingua haec in dies in pejus ruebat, ita ut nostris diebus plane sit emortua.

3. Quod attinet characteres scripturae chaldaicae, eos e scriptura syriaca enatos esse nonnulli (*Hupfeld, Hävernick, Fürst* etc.) defendunt; sententia tamen altera (*Gesenius, Winer, Ewald*) hanc scripturam, quam nos vocamus quadratam, Chaldaeis (Babyloniis) jam fuisse notam probabilior est, concedi autem debet, hos characteres, quibus nunc utimur, non fuisse originarios sed pedetentim calligraphica scribendi ratione hanc accepisse formam; nam si comparantur cum characteribus palmyrenicis et aegyptiaco-aramaeis, in essentia quidem hos aequant, in formae tamen elegantia et volubilitate praestant, e quo evolutio characterum nunc usitatorum ex antiquioribus rudioribus quidem ast similibus fluit.

III. De dialecto Syriaca.

1. Dialectus syriaca olim in tota Aramaea septentrionali a Palaestina ad Natoliam et a mari mediterraneo ad Euphraten usque usitata erat. Cum Syria historia teste ab antiquissimis temporibus in varias provincias majores et minores distribueretur, haud improbabile est, hujus linguae plura fuisse idiomata, quam opinionem confirmant, quae ad nos pervenerunt antiquitatis vestigia. Commemorantur dialectus Antiochena sive Comagena, dialectus Palmyrena, in

Palmyrae ruinis conspicua, idioma Maronitarum et Nestorianorum.

2. Procul dubio dialectus syriaca in Syria ipsa exculta et antiquissimis temporibus ab omni peregrino colore libera fuit, deinde autem multiplici Syrorum cum gentibus aliis conjunctione limpida fluebat, radices exoticas recipiebat ac insolitam formandi rationem hic illic sequebatur.

Cum magna Aramaeae pars per undecim fere saecula Persis esset subjecta et varia cum his conjunctione uteretur, impediri non poterat, quominus Persarum lingua multas voces cum Syriaca communicaret. Huc pertinent nomina, quae ad physicam, politicam et religiosam Persarum conditionem et institutionem pertinent, quorum plura exempla vide *Hoffmanni* Grammat. pag. 18. seq., *Lorsbachii* Archiv für morgl. Literatur Marb. 1791—94. I. p. 246—55 & II. p. 251—336 et *Boetticheri* Supplem. Lexic. Aram. p. 31 seq.

3. Propter magnam inde ab Alexandri M. tempore cum Graecis conjunctionem et consuetudinem permultae voces Graecae in linguam syriacam sunt illatae, praeprimis particulae, uti: ܕܝܢ δὲ, ܡܢ μὲν, ܓܝܪ γὰρ, ܡܠܠܘܢ μᾶλλον etc., imo e libris N. T. graece scriptis multae expressiones sunt receptae.

4. Conjunctio Syrorum cum Romanis linguam etiam Latinis vocabulis locupletavit, quae spectant ad res publicas, magistratus, bellica instrumenta et alia hujusmodi designanda.

5. Denique currente tempore Syri praeterea voces arabicas, aegyptiacas, turcas, tartaricas et e tempore expeditionum cruciatarum (Barhebraeus) gallicas, italicas, imo et anglicas adoptarunt.

Not. a. Nullum tamen deprehenditur exemplum vocis alicujus germanicae receptae.

Not. b. Voces exoticae maximam partem sunt nomina, quorum alia formam induerunt syriacam, alia vero barbaram terminationem retinentia patriam suam perspicue ostendunt.

6. Etiamsi imperatoribus Syriam dominantibus lingua multum puritatis perpetuo perderet, tunc tamen libris omnis generis praecipue theologicis componendis ad splendidissimum culturae gradum pervenit. Jam a Vespasiano imperatore usque ad saeculum p. Ch. quintum floruit celeberrima schola Edessena, quae multum linguae puritati et culturae impendit operae, ita ut haec lingua sic emendata et culta nomen "Edessenae" receperit. Claruerunt inter Syros: Achudemes († 575) Monophysitarum Syriae orientalis metropolita; Josephus Huzita († 580) presbyter Nestorianus ac Nisibenae scholae rector; Jacobus Edessenus († 698), qui pristinam linguae puritatem maximo cum studio restituere est conatus; ab hoc laudantur: Jesudenah (VIII. saec.), Kosrae episcopus, Honainus sive Joannes medicus († 876), Elias episcopus Nisibensis, Joannes Stylita (830), Joannes Chamisii filius (855).

Abhinc lingua sensim in pejus ruebat; saeculo VIII. et IX. lingua syriaca valde fuit deformata; inde a saeculo X. et XI. ex urbibus, saeculo XII. et XIII. etiam ex agris fuit expulsa. In hoc aevum referendi sunt Bar-Hebraeus seu Abulpharagius dictus (an. 1226—1286) et Jo. Barzugbi, monachus Nestorianus, qui primus grammaticam accuratiori methodo tradidit. Etsi prisca Syrorum lingua jam saeculo XII. exeunte ab arabica paene summota erat et sermo vulgaris esse desierat, in sacris tamen cultuque divino apud omnes Syrorum ecclesias etiam seriori tempore usurpata est, ut apud Maronitas, quorum plures a saeculo XVI. usque ad saeculum XVIII. mirifica institutione claruerunt iique: Moses Mardenus, Amira, Abrah. Ecchellensis, Assemanus uterque.

Inde ab initio saeculi XVI. studium linguae syriacae etiam in Europa tractari coeperat; primus, qui linguam hanc ab ipsis Syris Romae edoctus est et grammaticam edidit, erat Theseus Ambrosius an. 1514.

Not. a. Nestoriani ubique officia divina in lingua syriaca celebrant, epistolam et evangelium primo syriace dein vulgari sermone ad populum recitantes; ceterae Syrorum gentes, ut Maronitae, Jacobitae et Melchitae syriaco quidem sermone in sacris utuntur, ast Melchitae ritum graecum sequentes syriacae linguae arabicam cum graeca commixtam omnino substituerunt, Maronitae vero et Jacobitae praeter scripturae lectiones etiam in precibus hymnisque arabicum sermonem pro syriaco usurpant, in Breviariis vero et in Liturgia nunc adhuc utuntur syriaco.

Not. b. Nostris diebus lingua syriaca ast multo corrupta in duobus tantum vicis non longe a Damasco dissitis Mallulae et Warae in usu esse dicitur, quibus non obstantibus lingua syriaca inter linguas emortuas est referenda.

IV. De dialecti syriacae scriptura. (Tab. XII.)

Varia scripturae genera inter Semitas usitata e primo alphabeto tanquam e fonte communi profecta sunt, nam exhibent quasdam literas, quarum figurae cum antiquissimis conspirant. Sunt autem notanda sequentia scribendi genera:

1. Scriptura inscriptionis Carpentoractensis, quae lapidi incisa a Carpentoracte (St. Carpentras) in Gallia, ubi nunc in bibliotheca episcopali asservatur, nomen traxit, literas offert Palmyrenis sat antiquiores, rectius vero aramaica quam phoeniciaca nominatur.

2. Alphabetum Palmyrenum ex inscriptionibus Palmyrae erutum temporis decursu ab antiquo Aramaeorum scribendi genere deflectebat, hinc in oppositionem antiquioris scripturae Aramaeorum recentior nominanda est scriptura, e qua exorta est scriptura quadrata.

3. Antiquissimum autem inter ea scribendi genera, quae in libris syriacis inveniuntur, est E s t r a n g e l u m ܐܣܛܪܢܓܠܐ dictum, quod nomen quidam a graeco στρόγγυλος derivantes *rotundum* significare ajunt; cum vero minime rotunda sit haec literarum forma, alii nomen hoc arabicae originis esse statuunt, ortum e سَطْر *scriptura* et إنجيل *evangelium*, ut significet *scripturam evangelii* seu *majusculam*, qua in scribendis evangelii exemplis utebantur, oppositam minusculis et velocius scriptis literis in vulgo usitatis, quo pacto hujus scripturae typus bene στρόγγυλος *rotundus* i. e. *teres* seu *concinnus* appellatur. Haec scriptura in pervetustis codicibus conspicitur, nominatim in pluribus eorum, qui saeculo ante Christum octavo exarati sunt. Praeter hanc etiam in monumentis publicis obviam aliam vulgarem jam in usu fuisse certe anno 548., e Cod. Syriaco Vatic. XII. edocemur. Serioribus temporibus sed fere in titulis tantum Estrangela scriptura invenitur.

4. Alia scribendi ratio Estrangelae simillima sive potius Estrangela ipsa est illa, quae duplicem ductum ejusdem literae habet medio cavo relicto, qua Syri in brevi aliquo dicto aut epigrammate et in librorum titulis uti solent. Ob duplicem literarum ductum hoc alphabetum D u p l i c a t i ܟܦܝܠܬܐ nomine insignitur; adhibetur praecipue ornamenti causa et propterea etiam variis coloribus decoratur.

5. Medium inter scripturam antiquam et recentiorem tenet scriptura N e s t o r i a n a dicta et Nestorianis propria, qua scripti codices multi exstant. Literae solent satis minutae esse nec diversis temporibus omnino pares manserunt.

6. Usitatissima scriptura et in libris nostris typis impressis usurpata est ea, quae ܦܫܝܛܬܐ (P e s c h i t o) i. e. s i m p l e x aut ܣܪܛܐ i. e. l i n e a nominatur sine dubio propter lineam

fere omnes literas infra annectentem, hoc scribendi genus nil aliud est, nisi Estrangelum obliquum et inclinatum.

7. Accedit aliud alphabetum ab *Adlero* in bibliotheca Vaticana in cod. XIX. inventum, quod Hierosolymitanum seu Adlerianum vocatur. Literarum forma rudior ad veterem quidem scribendi modum vergit, ast scripturae quadratae multo similior est quam antiquae syriacae.

8. Sequitur alphabetum Mendaeum, quo utuntur Zabii gnostici in Persia habitantes; literarum ductus sunt inhabiles, crassi, obtusa arundine scripti, fere omnes angulosi paucis exceptis, quibus tantum aliquid inest rotunditatis. Patria illius scripturae et idiomatis in Aramaea est quaerenda, qua aetate vero exstiterit certo contendi nequit.

Not. a. Plura scribendi genera, praecipue Peschito, literas amant conjunctas, ita ut plures aut utrinque aut praecedenti aut subsequenti literae annectant aliquot tamen literis conjunctionem respuentibus. Probabiliter Aramaei antiquissimi cum intervallis voces scripserunt; nam jam in inscriptione Carpentoractensi eaedem spatio inter singulas relicto distinguuntur. Syros non a dextra ad sinistram, sed a fronte paginae versus pectus scripsisse, conversa tamen charta a dextra ad sinistram legisse eruditis est exploratum; hinc signa vocalium graeca a scribente in eo, quem in scriptione graeca habent, situ exarata legenti inversa apparent.

Not. b. Cum seriori tempore lingua syriaca cederet arabicae, Syri arabice scribebant literis tamen syriacis utentes, quod scribendi genus ab auctore Carschun dicto, nomen traxit Carschunici.

V. Literatura.

Grammaticas et Lexica Aramaea (syriaca) hucusque typis edita enumerat Zenker in sua Bibl. Oriental. II. pg. 128 —138. Lips. 1866. Principaliora opera sunt:

A. Grammaticae utriusque dialecti aramaeae.

J. Buxtorf Grammatic. chald. et syr. Basil. (1615) 1650.

And. Sennert Hypotyp. harm. ling. orient. chald. syr. et arab. Viteb. 1653.

J. H. Hottinger Grammat. 4 ling. hebr. chald. syr. et arab. Heidlbg. 1658.

Lud. de Dieu Grammatica ling. orientl. hebr. chald. et syriac. inter se collatarum. Frft. a. M. 1683.

Car. Schaaf Opus aramaeum comp. Grammaticam chald. syriac. etc. Lug. Bat. 1686.

J. P. Hartmann Hebr. Syr. Chald. et Sam. ling. instit. harm. Fcf. 1704.

Ign. Fessler Institut. linguar. orientl. hebr. chald. syr. et arab. 2 Tom. Vratisl. 1787. 89.

J. G. Hasse Prakt. Handb. d. Aram. od. Syr.-Chald.-Sam. Sprachen. Jena 1791.

J. Jahn aram. od. chald. und syr. Sprachlehre. Wien 1793.

J. S. Vater Handbuch der hebr. syr. chald. u. arab. Grammatik. Leipzig 1817.

W. Gesenius Ausf. grammat.-krit. Lehrgebäude der hebr. Sprache mit Vergleichung der verwandten Dialekte. Leipz. 1817. 2 Th.

And. Oberleitner Elementa aram. Vind. 1820.

B. Grammaticae chaldaicae.

Ch. Cellarii Chaldaismus s. Gram. nov. ling. chald. Ciz. 1685.

Hen. Opitii Chaldaismus targ.-talm.-rabb. Hebraismo harmon. Kil. 1696.

J. Altingi Synopsis institut. chaldaic. Halae 1768.

Dav. Michaelis Grammat. chald. Goett. 1771.

N. W. Schröder Instit. ad fund. chald. bibl. brevissime concinnata. edit. 2. Ulm. 1810.

Jul. Fürst Lehrgebäude der aram. Idiome. 1. Th. Formenlehre der chald. Grammatik. Leipz. 1835.

Georg Winer Grammat. des bibl. u. targ. Chaldaismus. Leipzig 1842.

C. Lexica chaldaica.

J. Buxtorfii Lexicon chaldaico-talmudico-rabbinicum. Basil. 1640.

H. Hottinger Etymologicum oriental. sive Lexicon harm. heptaglotton. Frcf. 1664.

Edm. Castelli Lexicon heptaglotton. Lond. 1669.

M. J. Landau Rabb. aram. deutsch. Wörterb. Prag 1819. 20. 3 Th. in 5 Bd.

H. Dessauer Gedrängtes vollst. aram. chald. deutsches Handwörterbuch. Erlang. 1838.

F. Nork Vollst. hebräisch-chaldäisches-rabb. Wörterbuch. Grimma 1842.

J. Levy Chald. Wörterbuch über die Targumim und einen grossen Theil d. rabb. Schriftthums. 2 B. Leipz. 1867—68.

Praeterea voces A. T. chaldaicas etiam continent Lexica hebraica; inter ea

J. Gesenii Lexicon manuale hebraicum et chaldaicum. Ed. 2. ab A. Hoffmann. Lipsiae 1847.

J. Fürst Hebräisches und chaldäisches Handwörterbuch über das A. T. 2 B. 2. Aufl. Leipzig 1861.

D. Grammaticae syriacae.

Widmanstadii Syriac. ling. prima elementa. Vienn. 1555. Ed. 2. Antw. 1572.

G. Amirae Gramm. syriaca, sive chald. Rom. 1596.

J. Michaelis Grammatica syr. Halis 1784.

J. G. Ch. Adleri Brevis ling. syr. institut. Alton. 1784.

W. Hezel Syrische Sprachlehre. Lemgo 1788.
Ol. G. Tychsen Elementale Syriacum. Rostochi 1793.
C. M. Agrelli Otiola syr. Lund. 1816.
P. Ewald Lehrbuch der syr. Sprache. Erlang. 1826.
And. Hoffmann Grammaticae Syriacae lib. III. Halae 1827.
F. Uhlemann Grammatik der Syrischen Sprache. 2. Aufl. Berlin 1857.
J. B. Wenig Schola syriaca. Oeniponte 1866.

E. Lexica syriaca.

Val. Schindler Lexicon pentaglott. Hanov. 1612. Lond. 1635. Frcf. 1695.
J. Ferrarii Nomenclator Syriacus. Romae 1622.
J. Buxtorf jun. Lexicon chald. et syriac. Basil. 1622.
A. Gutbirii Lexicon syriac. Hamb. 1667. (N. T.)
C. Schaaf Lexicon syr. concord. Lugd. 1708. (N. T.)
Ed. Castelli Lexicon syriac. ed. a J. D. Michaelis. Gotting. 1788. II Tom.
G. Bernstein Lexicon syriac. Chrestomatiae Kirschianae denuo editae accom. Lips. 1836. Ejusdem Lexicon syriac. Vol I. Fasc. I. Berol. 1857. fol.
A. Oberleitneri Glossarium syriaco-latinum chrestomathiae accomod. Viennae 1827.

VI. Divisio.

Cum dialecti chaldaica et syriaca in essentialibus grammaticae partibus conveniant, utraque in sequentibus coordinatim est exponenda et quidem in tribus partibus, quarum prima de utriusque dialecti elementis, de orationis partibus altera et ultima de syntaxi tractabit.

PARS PRIMA.

Elementa linguae et scripturae aramaicae.

I. CAPUT.

De lectione ac orthographia.

§. 1. De Consonantibus earumque figuris et nominibus.

Syrorum literae numero sunt XXII, quarum figurae pro loci, quem in vocibus obtinent diversitate nonnihil variant; aliae enim sunt initiales, quae soli sequenti, aliae medianae, quae utrimque, aliae finales, quae soli praecedenti, aliae denique absolutae, quae nulli annectuntur.

Nomen literarum syriacarum.	Figura lit. syriac. Initialis.	Mediana.	Finalis.	Absoluta.	Potestas.	Valor.	Lit. chaldaicae.	Nomen literarum chaldaicarum.
Olaph ܐܠܦ	ܐ	ܐ	ܐ	ܐ	Spiritus lenis	1	א	אָלֶף Aleph
Beth ܒܝܬ	ܒ	ܒ	ܒ	ܒ	b, v	2	ב	בֵּית Beth
Gomal ܓܡܠ	ܓ	ܓ	ܓ	ܓ	g	3	ג	גִּימֶל Gimel
Dolath ܕܠܬ	ܕ	ܕ	ܕ	ܕ	d	4	ד	דָּלֶת Daleth
He ܗܐ	ܗ	ܗ	ܗ	ܗ	h	5	ה	הֵא He
Vau ܘܐܘ	ܘ	ܘ	ܘ	ܘ	v, w	6	ו	וָאו Vau
Zain ܙܝܢ	ܙ	ܙ	ܙ	ܙ	ζ (gr.) ç (gal.)	7	ז	זַיִן Zain

Nomen literarum syriacarum.	Figura lit. syriac. Initialis.	Mediana.	Finalis.	Absoluta.	Potestas.	Valor.	Lit. chaldaicae.	Nomen literarum chaldaicarum.
Cheth ܚܝܬ	ܚ	ܚ	ܚ	ܚ	ch, hh	8	ח	חֵית Chet
Teth ܛܝܬ	ܛ	ܛ	ܛ	ܛ	tt	9	ט	טֵית Teth
Jud ܝܘܕ	ܝ	ܝ	ܝ	ܝ	j	10	י	יוֹד Jod
Coph ܟܦ	ܟ	ܟ	ܟ	ܟ	k (ch)	20	ך כ	כַּף Kaph
Lomad ܠܡܕ	ܠ	ܠ	ܠ	ܠ	l	30	ל	לָמֶד Lamed
Mim ܡܝܡ	ܡ	ܡ	ܡ	ܡ	m	40	ם מ	מֵים Mem
Nun ܢܘܢ	ܢ	ܢ	ܢ	ܢ	n	50	ן נ	נוּן Nun
Semcath ܣܡܟܬ	ܣ	ܣ	ܣ	ܣ	s	60	ס	סָמֶךְ Samech
Ee ܥܐ	ܥ	ܥ	ܥ	ܥ	Gutturalis	70	ע	עַיִן Ain
Phe ܦܐ	ܦ	ܦ	ܦ	ܦ	p (ph, f)	80	ף פ	פֵּיא Fe
Zode ܨܕܐ	ܨ	ܨ	ܨ	ܨ	z, ts	90	ץ צ	צָדֵי Zade
Kuph ܩܘܦ	ܩ	ܩ	ܩ	ܩ	k'	100	ק	קוֹף Koph
Risch ܪܝܫ	ܪ	ܪ	ܪ	ܪ	r	200	ר	רֵישׁ Resch
Schin ܫܝܢ	ܫ	ܫ	ܫ	ܫ	sch	300	ש	שִׁין Schin
Thau ܬܐܘ	ܬ	ܬ	ܬ	ܬ	t (th)	400	ת	תָּיו Thau.

Adnotationes.

1) Annexio singularum literarum fit addita lineola, qua nonnullae singulari forma immutantur; praeprimis in fine figuras mutant sequentes: ܟ, ܠ, ܡ, ܢ et ܥ

2) Omnes Syrorum literae sequenti literae annectuntur praeter octo: ܐ, ܕ, ܗ, ܘ, ܙ, ܨ, ܪ et ܬ, quae cum praecedente tantum junguntur.

3) Olaph et Zain, Lomad et Ee literae finales simillimae magnitudine tantum figurae distinguuntur. Olaph cum Lo-

mad concurrens, si praecedit, inclinatur, ut: ܐܠܗܐ pro ܐܠܗܐ *Deus,* si vero sequitur, literam Lomad ad suam formam conformat, ut ܠܐ pro ܠܐ *non;* saepe Olaph Lomad finali innectitur, v. g. ܠܐ = לא *non.* Lomad in fine vocis duplicatum ita formatur, ut alterius literae pars toti priori annectatur, v. g. ܡܡܠܠ *dicens.*

4) Literis majusculis Syri non utuntur, non raro autem ad inscriptiones seu titulos librorum insigniendos scripturam Estrangelam usurpant.

§. 2. De Consonantium pronuntiatione ac divisione.

1) *Olaph* est spiritus lenis Graecorum i. e. levis aspiratio et nonnisi una cum vocali effertur. Inter duas vocales collocatum pronuntiatur sicut *j,* v. g. ܩܐܡ (kojem) *stans.*

2) *Zain* sonat *s* lenissimum linguae mucrone inter utramque dentium seriem interposito.

Cheth sicut *ch* gutture effertur, in nonnullis vero vocibus leniori modo ut *hh* pronunciabatur. Kuph lenius est quam Coph.

Ee e medio gutture pronuntiatur, quod fortiter comprimendum est trudendo ejus infernam partem contra supernam.

2) Dividuntur Consonantes A) ratione pronuntiationis in:

a) gutturales { א, ה, ח, ע, / ܐ, ܗ, ܚ, ܥ, } quibus litera ר, ܪ accedit.

b) labiales { ב, ו, מ, ף / ܒ, ܘ, ܡ, ܦ }

c) palatinas { ג, י, ך, ק / ܓ, ܝ, ܟ, ܩ }

d) dentales { ז, ס, צ, ש / ܙ, ܣ, ܨ, ܫ } et

e) linguales { ת, ן, ל, ט, ד / ܬ, ܢ, ܠ, ܛ, ܕ }

B) ratione firmitatis in: a) lenes seu infirmas (quiescibiles): ܐ, ܘ, ܝ; א, ו, י et b) fortes seu firmas, quae sunt ceterae omnes,

et C) ratione vocum formationis in: a) radicales et b) serviles.

Not. a. Syri pariter ac Hebraei antiquum literarum ordinem ab inventore, uti videtur, jam constitutum vetustateque sancitum retinuerunt.

Not. b. Cum Maronitae linguam arabicam literis scribunt syriacis, arabica vero lingua pluribus utatur literis quam syriaca, earum defectum e more Arabum puncto diacritico apposito supplere solent; v. g ض et ظ = ܛ̇ et ܛ̣.

§. 3. De Vocalibus.

1) Primis temporibus textus chaldaicus et syriacus erat scriptus sine vocalibus, nam difficultas, quae e textus vocalibus destituti lectione oritur, vix sentiebatur tempore, quo lingua erat vernacula; postquam vero temporis successu usus linguae aramaicae abiit in desuetudinem, a magistris textui vocales sunt appositae. Prinsquam vocalium signa in textum chaldaicum sunt illata, consonantes quiescibiles vocalium instar sunt substitutae et dictae matres lectionis, quia procreabant lectionem textus chaldaici vocalibus destituti genuinam. Literae quiescibiles autem sunt: א pro vocali *a*, י pro *e* et *î* ac ו pro *o* et *u;* quamvis a tempore introductionis punctorum ad vocales designandas lectionis matres factae sint supervacuae, tamen magnam partem sunt retentae in codicibus manuscriptis et libris typis editis, v. g. קְרִיבוּ חָוְכְמָא. Rarissime Kamez chatuph in vocibus chaldaicis occurrit.

Not. a. In inscriptionibus Carpentoractensi et Palmyrenis vocales quiescibilibus tantum literis notantur.

Not. b. In textu non punctato saepe י vel ו duplicatum poni-

tur, ut indicetur aut mobilitas hujus literae, v. g. מצווחא i. e. מְצַוְּחָא, aut duplicatio ejusdem, v. g. חייבין i. e. חַיָּבִין.

2) In textu syriaco matres lectionis non inveniuntur, quia simplicissima vocalium significatio fuit illa antiquorum Syrorum consuetudo, puncto consonantibus superposito vocales *a, o* et *u* breves, et literis subscripto *e, i* et *u* longas indicandi, quo puncto tamen in ambiguis tantum vocibus sunt usi, v. g. ܗܘ̇ (hau) *ille,* ܗ̣ܘ (hu) *ipse.* A quo, quando et quo loco primus illius puncti diacritici usus institutus fuerit, non constat, verosimiliter saeculo quarto in schola Edessena introductus esse videtur, cum jam Ephraemus de eo loquitur; initio parcissime, serius saepius est adhibitum.

3) Cum vero punctum diacriticum multum obscuritatis adhuc relinqueret, Jacobus Edessenus († 698 p. Ch.) pronuntiationis accuratioris procreandae causa puncto hoc diacritico geminando varioque modo ponendo septem vocalium signa introduxit, quorum quinque tantum fuerunt recepta. Haec perutilis Jacobi inventio non statim communem adepta est auctoritatem, nam Theophilus Edessenus († 792 p. Ch.) Homerum syriace vertens quinque vocales graecas figuram earum nonnihil mutando recepit; propter Syris propriam scribendi rationem literae graecae unciales *A, E, H, O, Y* in textu syriaco apparent inversae. Vocalium signa sunt ergo duplicis generis: syriaca (Jacobi) et graeca (Theophili).

Figura. Syriaca.	Figura. Graeca.	Nomen.	Sonus.
ـܲ vel ـ݁	ـܰ = ـܱ	Petocho (ܦܬܳܚܳܐ *apertio*)	= *a*
ـܸ vel ـܹ	ـܷ = ـܶ	Rebozo (ܪܒܳܨܳܐ *depressio*)	= *e*
ـܼ vel ـܻ	ـܻ = ـܺ	Chebozo (ܚܒܳܨܳܐ *adstrictio*)	= *i*
ـܵ vel ـܳ	ـܳ	Sekofo (ܙܩܳܦܳܐ *elatio*)	= *o*
ܘܼ vel ܘ݁ vel ܘ̇	ܘܽ (ـܽ)	Ezozo (ܥܨܳܨܳܐ *oppressio*)	= *u.*

Quemadmodum consonantes, ita et vocales in dialecto chaldaica eaedem sunt, quibus lingua hebraica utitur, eaeque aut longae aut breves.

Vocales longae:	Vocales breves:
◌ָ = *â* Kamez	◌ַ = *ă* Pathach
י ◌ֵ et ◌ֵ = *ê* Zere	◌ֶ = *ĕ* vel *ae* Segol
י ◌ִ et ◌ִ = *î* Chirek magnum	◌ִ = *ĭ* Chirek parvum
ו et ◌ֹ = *ô* Cholem	◌ֳ = *ŏ* Kamez-chatuph
וּ = *û* Schurek.	◌ֻ = *ŭ* Kibbuz.

Adnotanda.

1) Nomina vocalium a forma organorum, quibus proferuntur, repetuntur, sic v. g. ܦܬܳܚܳܐ a ܦܬܰܚ *aperuit*, quia vocalis *a* aperto ore profertur; ܪܒܳܨܳܐ *depressio oris*, quia *e* aliquatenus presse pronuntiatur etc. Vocales ipsae nominantur ܙܘ̈ܳܥܶܐ *motus*, quia consonantes per eas moventur, seu ܢܩ̈ܳܫܶܐ *soni*, quia per se ipsas sonant; consonanti annexae semper post eam pronuntiantur.

2) ◌ܳ et ◌ܶ e lege constante consonantibus superscribuntur, reliqua signa graeca utrumque locum occupare possunt; ceterum utraque figura tum syriaca tum graeca saepissime miscetur, ita ut una vocis syllaba hanc, altera illam habeat annexam, puncta autem syriaca nunquam situm fixum mutant.

3) Vocalis Ezozo nunquam sine matre lectionis (ܘ) scribitur exceptis ܟܽܠ *omnis* et ܡܶܛܽܠ *propter*. Sekofo saepe cum puncto diacritico literae ܪ coalescit, v. g. ܢܽܘܪܳܐ pro ܢܽܘܪܳܐ *ignis*.

4) Literae quiescibiles seu semivocales sunt א, י et ו; ܐ, ܘ et ܝ; quiescit autem Olaph in Petocho et Sekofo, v. g. ܐܰܠܳܗܳܐ *Deus*, imo et in reliquis vocalibus, ut: ܡܐܡܰܪ *dicere*, ܦܐܪܳܐ *fructus*, ܐܘܪܚܳܐ *via*. Vau quiescit tantum in Sekofo praeprimis in vocibus exoticis, v. g. ܗܪܳܘܕܣ *Herodes*, et in Ezozo, v. g. ܩܽܘܡ *surge*, imo in vocibus graecis in Petocho, v. g. ܐܪܟܰܘܣ ἀρχαῖς, et in Rebozo, ut: ܐܬܺܝܢܰܘܣ Ἀθήναις; Jud non-

nisi in Chebozo, v. g. ܥܰܝܢ *oculus* et in Rebozo, v. g. ܕܶܝܢ *autem*. In dialecto chaldaica א quiescit in *a-e*, י in *e-i* et ו in *o-u*.

5) Si vocalis scripta est cum litera homogenea quiescente, plene scripta nominatur, secus defective scripta. Plurimae voces graecae, quae in dialectum syriacam sunt translatae, plene scriptae apparent, v. g. ܛܰܓܡܳܐ τάγμα.

6) Si litera quiescibilis sequitur vocalem heterogeneam, diphtongescit; hinc sequentes diphtongi enascuntur:

a) ܘ praecedente ܰ = *au* ab initio et in medio vocis, v. g. ܡܰܘܬܳܐ (mauto) *mors* = chald. ו ַ vel ו ָ.

b) ܘ praecedente ܶ = *eu* vel etiam interveniente Jud = ܶܝܘ, v. g. ܩܫܶܗ݁ܘ (k'scheu) *durus ille*, ܐܶܫܬܶܝܘܗܝ (eschteu) *bibam illud* = chald ו ֵ et ו ֶ.

c) ܝ praecedente ܰ = *ai*, v. g. ܒܰܝܬܳܐ (baito) *domus* = chald. י ַ.

d) ܝ praecedente ܳ = *oi* in medio et fine dictionis = chald. וֹי, v. g. ܩܰܕܡܳܝ (kadmoi) *primus*.

e) ܘ ܽ ante Jud = *ui*, v. g. ܐܰܒܽܘܗܝ (abui) *pater ejus* = chald. וּי.

§. 4. De syllabis et signis orthographicis.

1) E copulatione consonantium et vocalium enascuntur syllabae, quae sunt aut apertae, si desinunt in vocalem, aut clausae, si consonante terminantur. In media voce consonans, quae syllabam claudit, recipit in Chaldaico Schwa quiescens seu mutum, quod sine sono est, in fine vocis signum hoc consonae vacuae non inscribitur, nisi ך finali, v. g. מֶלֶךְ et literae ת, si litera vacua jam praecedit, ut: אַנְתְּ *tu*. Ceterum sermo chaldaicus omnia signa orthographica cum hebraico habet communia, de quibus confer W. Gesenii Hebräische Grammatik herg. v. Rödiger. Leipzig 1857. 18. Aufl. § 10 seq.

2) Quaelibet syllaba in linguis semiticis ab una Consonante incipit, quae si est vacua, requirit in lingua hebraea et chaldaica vocalem brevissimam i. e. Schwa simplex seu mobile, quod signum Syri, ut ajunt grammatici, in re quidem agnoscunt, cujus figura autem carent, v. g. קְטַל = ܩܛܰܠ. Sonus, quo Schwa mobile pronunciatur, fluctuat inter omnes vocalium sonos, plerumque subsequentibus vocalibus accomodatur, ita ut mox ut *a*, mox ut *o*, saepius ut *e* sonet. Similiter Schwa compositum Syri non agnoscunt.

Not. Ubi duae consonantes ab initio syllabae vacuae concurrunt, prior accipit vocalem in dialecto syriaca plerumque —, vel —, — et —, prout Hebraei et Chaldaei, qui, ubi duo Schwa ab initio syllabae concurrunt, prius resolvunt in vocalem brevem, v. g. לִקְטַל pro לְקְטַל, ܒܰܫܡܰܝܳܐ pro ܒܫܡܰܝܳܐ *in coelis*, imo et in media voce, v. g.: ܬܶܫܒܽܘܚܬܳܐ pro ܬܫܒܽܘܚܬܳܐ *laus.*

3) Syri geminationem literarum quidem norunt, nota tamen literarum geminandarum (Dagesch forti) carent. In sermone vulgari, non autem in elegantiori, geminatio locum habet et est aut compensativa, v. g. ܐܶܦܽܘܩ (eppuk) pro ܐܶܢܦܽܘܩ (enpuk) *exibo*, aut characteristica, ut in forma Paël et Ethpaal, v. g. ܦܰܩܶܕ (pakked) *praecepit.*

Nonnunquam literam geminandam bis scribunt, v. g. ܥܰܡܡܶܐ = עַמִּים *gentes*, praeprimis in vocibus exoticis, v. g. ܝܽܘܚܰܢܢܳܢ *Joannis*, aut Dagesch forte Chaldaeorum litera inserta compensant, ut: ܡܰܢܕܰܥ = מַדַּע.

4) Cum vocalium signis cohaerent reliquae notae orthographicae, quae partim illis sunt antiquiores; sunt autem:

a) Puncta Rucoch (ܪܘܟܟ *emollitio*) et Kuschoi (ܩܘܫܝ *induratio*), quae literis aspiratis ܒ, ܓ, ܕ, ܟ, ܦ, ܬ in codicibus manuscriptis plerumque rubro colore sunt apposita. Punctum infra illas literas positum (Rucoch) eas lenius sive cum aspiratione, super easdem positum (Kuschoi) eas durius et sine aspiratione legendas esse indicat. Hinc Ku-

schoi correspondet Dagesch leni Hebraeorum et Chaldaeorum imposito iisdem literis aspiratis: ת, פ, כ, ד, ג, ב, quo munitae tenues evadunt, v. g. ܟܬܳܒܳܟ Ketoboch) *liber tuus*. Quando fieri debeat aspiratio, quando non, ex analogia dialecti chaldaicae facile explicatur.

Not. In multis illis vocibus e graeca aliisque linguis receptis literae aspiratae eodem modo pronuntiari solent, quo in illa lingua, a qua sunt desumtae, v. g.: ܟܠܰܡܘܽܣ χλαμύς (chlamys).

b) Ribui (ܪܶܒܽܘܝ a ܪܒܳܐ *myrias, numerus ingens* seu *pluralitas*) nominamus duo puncta horizontalia super vocem posita, quae pluralem nominum et verborum in textu vocalibus destituto a singulari distinguunt, quod signum adhuc in textu punctato usitatum est, v. g. ܡܠܟܐ = ܡܰܠܟܶܐ *reges* in oppositionem ܡܠܟܐ = ܡܰܠܟܳܐ *rex*. Ubi e literis ipsis aut terminatione pluralis agnoscitur, hoc signum non adpingitur; nomina autem collective posita, quae aliquis facile vocalibus deficientibus pro singulari habuerit, his punctis notantur, v. g. ܥܢܐ *ovis*, ܥܢ̈ܐ *grex ovium*.

Not. a. Si voci tali inest litera ܪ, punctum hujus cum uno e duobus Ribui punctis coalescit, v. g. ܪ̈ܓܠܐ *pedes*; contrahitur signum hoc etiam cum Petocho punctis expresso, v. g. ܫܶ̈ܬܶܐܣܰܘܗ̱ܝ *fundamenta ejus.*

Not. b. Quoties numeralia cum suffixis junguntur, hoc signo induuntur, v. g. ܬܠܳܬܰ̈ܝܟܽܘܢ *vos tres*, similiter et particulae multae, quae pluralia recipiunt suffixa, ut: ܚܕܳܪ̈ܰܝܟ *circa te.*

c) *α*) Marhetono ܡܰܪܗܛܳܢܳܐ *(currere faciens* a ܪܗܛ *currere)* est linea superna literam schevandam ante literam vacuam indicans, v. g. ܡܰܠܟܬܳܐ (malkto) *regina*, literam ergo hoc signo munitam cursu quodam et velociter legendam esse docet. Marhetono respondet omnino τῷ Schwa Hebraeorum eo tamen discrimine, ut in certis tantum exemplis usurpetur.

β) Mehagjono ܡܗܰܓܝܳܢܳܐ *(coagmentator* a ܗܓܳܐ *coagmentavit, connexit)* est linea inferna literam vacuam cum vocali plerumque *e*, rarius *a* efferendam esse docens, ut: ܕܶܚܶܠܬܳܐ (dechel-

to) *timor*; conjunguntur ergo hoc signo literae, quae ad alias syllabas pertinent, in unam novam et peculiarem.

Not. Utrumque signum nobis superfluum et propterea in libris raro adhibitum ad mensuram poëmatum firmandam inventum esse, dein vero ex poësi in orationem solutam manasse videtur.

d) Lineola seu virga occultans est linea transversa infra literam posita, quae indicat, hanc literam non esse pronuntiandam, ut ܐܢܐ (no) *ego*, ܒܪܬ (bat) *filia*; eas enim literas, quae scribendo exprimuntur, in pronuntiatione autem prorsus negliguntur, occultari grammatici dicunt.

Not. Linea occultans distinguenda est a signo Mehagjono, cum utriusque lineae vis prorsus sit diversa et linea occultans in certis tantum vocibus adhibeatur.

Occultantur autem literae ܐ et ܗ, et quidem:

α) ܐ initiale in multis vocibus, v. g. ܐܚܝܢ *cognatus*, ܐܚܪܢ *alius*, ܐܢܫ *homo* etc. earumque derivatis, ut: ܐܚܪܝܐ *ultimus*; in pronomine ܐܢܐ *ego*, quoties verbi substantivi loco ponitur, dein in nominibus graecis, quae assumunt ab initio Olaph, quod, quamvis linea occultaus non subjiciatur, occultatur, cum vocalem non accipiat, ut: ܐܣܛܘܟܣܐ (stukso) στοιχεῖα.

β) ܗ in pronominibus ܗܘ et ܗܝ aut pro verbo substantivo aut pleonastice positis, quae vocalem suam ad praecedentem vocem vocali in fine destitutam remittunt, v. g. ܠܝܬ ܗܘ (laitu) *non est*; nonnunquam et vocalis pronominis in fine vocis praecedentis ponitur, ut: ܒܣܪܝ ܗܘ (besr'ju) *caro mea est.*

Si vero vox praecedens vocali in fine est instructa, literae ܘ et ܝ pronominum vocali sua abjecta cum vocali praecedentis syllabae dipthongescunt, v. g. ܩܫܐ ܗܘ (k'scheu) *durum est*, ܗܕܐ ܗܝ (hodoi) *haec est*, ita tamen, ut Sekofo finale praecedentis vocis ante ܗܘ in Petocho mutetur, v. g. ܐܢܐ ܗܘ (enau) *ego sum* pro ܐܢܐ ܗܘ, similiter ܫܘܒܚܐ ܗܘ pro ܫܘܒܚܐ ܗܘ; hinc saepe voces tales prorsus in unam conjunguntur, ut: ܗܢܘ (honau) *hic est* pro ܗܢܐ ܗܘ, quod et obtinet apud Chaldaeos, ut: מַנּוּ pro מַן הוּא *quis est?* Occultatur porro *He* in pronomine ejus-

dem personae masculin. tum nominis, tum verbi suffixo, v. g. ܐܒܘܗܝ (abui) *pater ejus*, ܩܪܝܗܝ (kroi) *vocavit illum*; in verbo auxiliari ܗܘܐ *fuit*, quando cum altero verbo est conjunctum, v. g. ܩܛܠ ܗܘܐ (kotel vo) *occidebat* et in verbo ܝܗܒ (jab) *dedit*, denique in nominibus propriis aliunde receptis *He* pro spiritu aspero positum occultatur, v. g. ܪܗܘܡܐ Ῥώμη, ܝܗܘܕܝܐ *Judaei*.

γ) Occultantur et reliquae literae, quae bis scribuntur ad derivationem orthographicam indicandam et quidem in nominibus mediae radicalis geminatae prior illarum occultatur, ut: ܡܡܠܠܐ (mamlo) *loquela*, ܓܠܠܐ *undae*, ܝܡܡܐ *maria*, ܡܢܢܐ (mano) *manna* et aliis; denique

δ) quae in Hebraico assimilationem subeunt literae, easdem in syriaco saepe occultatas invenimus, et quidem:

1) *Lomad* verbi ܐܙܠ *abiit*, quando vocalem suam in radicalem praecedentem vacuam remittit, v. g.: ܐܙܠ pro ܐܙܠ. Si vero significat *prodesse* occultationem non admittit.

2) Litera *Nun* in pronom. 2. pers. ܐܢܬ, ܐܢܬܝ *tu*, ܐܢܬܘܢ, ܐܢܬܝܢ *vos* et in multis aliis nominibus, v. g. ܡܕܝܢܬܐ *urbs*, ܐܢܬܬܐ *mulier*, ܣܦܝܢܬܐ *navis*, ܫܢܬܐ *annus* etc.

3) *Risch* in voce ܒܪܬܐ *filia* et in imperativo ܪܗܛ pro ܪܗܛ *curre*.

4) Litera *Chet* in pronom. ܚܢܢ *nos*, si praesenti formando adhibetur, v. g. ܩܪܝܢܢ ܚܢܢ (korennan) *nos vocamus*.

e. Linea diacritica est linea superna et transversa, quae

α) tanquam compendium scriptionis usurpatur, ut ܘܫ pro ܘܫܪܟܐ *et cetera*, ܩ pro ܩܕܝܫܐ *sancti*, et literis numeros significantibus imponitur, ut: ܒܫܢܬ ܐܦܣܛ *anno* 1869.

β) Haec linea sub ܠ ante ܗ duriorem eam literam mollius et cum eadem lenitate uti Olaph efferendam indicat, ut ܐܬܗܕ (ehad) *recordatus est*.

γ) Denique mediae radicali subjecta verborum imperativum passivum ab infinitivo et praeterito discernit, v. g. ܐܬܩܛܠ (etkatl) *interficiaris*.

§. 5. De Numerorum signis.

1. Numeros Syri raro numeralibus, sed plerumque literis indicare solent linea diacritica munitis. Primis alphabeti literis inde ab ܐ usque ad ܛ *unitates,* novem dein sequentibus a ܝ usque ad ܨ *decades* et reliquis *centurias* notant, ceteros numeros harum additione supplent, v. g. ܬܡܕ = 444.

Ad numerum 500 et ultra notandum Syri adhibent literas puncto munitas easdem: ܟ̇ = 500, ܠ̇ = 600, ܡ̇ = 700, ܢ̇ = 800 et ܣ̇ = 900. *Millia* vero exprimunt per lineolam a sinistra dextram versus obliquam et subjectam, quae quamcunque literam ornat, ad millenariam profert potentiam, v. g. ܐ̗ = 1000, ܕ̗ = 4000, ܛ̗ = 9000.

Eadem lineola horizontalis inferna *myriades* exprimit i. e. quemvis numerum literâ significatum cum decics mille multiplicandum innuens, v. g. ܐ̱ = 10·000, ܒ̱ = 20·000, ܩ̱ = 1·000·000.

Numeros *fractos* ita scribunt, ut literae numerali imponant lineolam obliquam a sinistra ad dextram ductám, v. g.: ܒ̀ = 1/2, ܓ̀ = 1/3.

2) Antiqui Aramaei Phoenicum instar ad numeros significandos Palmyrenis inscriptionibus testantibus etiam signa adhibuerunt peculiaria, quae sunt:

I = 1; II = 2; III = 3; IIII = 4;
Y = 5; ɔ = 10; ʒ = 20

reliquos numeros his signis conjunctis exprimunt, ut: IY = 6; Iɔ = 11; IIɔ = 22 etc. ɔI = 100; ɔY = 500; ɔɔI = 1000.

3) In Masora literae chaldaicae similiter ad numeros significandos adhibentur, et quidem א usque ט *unitates,* י usque צ *decades,* ק usque ת 100 — 400 designant; reliqui *centenarii* aut per finales, ut: ך = 500, ם = 600, ן = 700, ף = 800, ץ = 900 aut per compositas literas תק, תר, תש, תת, תתק

exprimuntur; *millia* eadem ratione, qua Syri componunt Chaldaei, hinc: א״ךְ = 1500.

§. 6. De Tono.

1) Tonus in dialecto chaldaica secundum analogiam linguae hebraicae residet in ultima syllaba; in penultima tantum figunt tonum: a) in formis segolatis, ut: מֶלֶךְ, טְעֵם, עֲיִן, אֲמֶרֶת etc. b) in terminatione pluralis (et dualis) in יִן; c) in formis verbalibus in תָ (תָא, תָה) et נָא desinentibus, ut: קְטַלְנָא קְטַלְתָּא, in 3. pers. plur. praet. uti: קְטַלוּ et in personis imperativi in ו et ִי, v. g. קְטֹלוּ et קְטֹלִי, d) denique in suffixis ִנִי, ָהָא, ָנָא, וֹהִי, ִכִי et ִהִי, v. g. מֵיגוֹהִי, בָּרְכַתִי.

2) Syri e contrario tonum figunt in penultima, v. g. ܡܰܠܟܳܐ (málco); ultima autem syllaba acuitur in vocibus, quae desinunt in consonantem vacuam (non quiescentem), v. g. ܡܰܠܟܰܝ (malkaí); praecipue terminationes ܝܢ, ܘܢ, ܝܢ, ܘܬ et ܘܬܐ vel apocopata in ܘ et ܝ (abjecto ܐ finali) desinentia tonum sibi vindicant, v. g. ܡܰܠܟܺܝܢ (malkín), ܡܰܠܟܽܘܬܐ (malkút) aut ܡܰܠܟܽܘ (malkú) *regnum*.

Not. In vocibus exoticis, praecipue graecis, si ultima aut penultima tonum habebat, apud Syros in eadem syllaba remanet, v. g.: ܒܰܣܺܝܠܺܝܘܣ βασιλεῖος (basilíos); si vero Graeci antepenultimam acuebant, Syri penultimae dare solebant tonum, v. g. ܐܶܘܰܢܓܶܠܝܳܘܢ εὐαγγέλιον (evangelíon).

§. 7. De distinctionis signis.

Magna est apud Syros in distinctionis signis varietas; sunt autem quatuor primaria:

a) (:) nostro commati simillimum in protasis membris sejungendis adhibetur.

b) (.) claudit protasin et etiam vim interrogationis signi habet.

c) (.) sejungit membra apodosis et longiorem interrogationem claudit.

d) (·) claudit periodum.

Maximum interpunctionis signum est (⁘) aut (: :). Inveniuntur etiam ÷ (obelus), ⁜ (asteriscus), ÷ (lemniscus) et ÷ (hypolemniscus).

II. CAPUT.

De Consonantium et Vocalium permutationibus.

§. 8. De Consonantium mutationibus.

Omnes mutationes, quibus consonantes subjiciuntur, ad supremam euphoniae legem reducuntur, hinc consonantes transponuntur, assimilantur, abjiciuntur etc. ad gratam pronuntiationem seu euphoniam procreandam. Sunt autem sequentes mutationes notandae:

A. Permutatio consonantium.

In omnibus linguis semiticis consonantes sono seu organo similes et cognatae permutantur, v. g. pro Hebraeo צוּר *petra* dicitur טוּר et ܛܘܪܐ; hinc צ ܨ saepe mutatur in ט ܛ, ז ܙ in ד ܕ, et ש ܫ in ת ܬ, v. g. pro שֶׁלֶג heb. dicitur תְּלַג ܬܠܓܐ *nix*; א permutatur cum י, v. g. מֵיבַד pro מֵאבַד, quae permutatio praecipue Lexica respicit.

B. Transpositio consonantium.

Transponuntur consonantes (*Metathesis*), si altera propter debilitatem (liquiditatem) locum suum obtinere nequit, v. g. תְּרַע pro תְּעַר, קְרַץ pro קְצַר; [illegible] pro [illegible]; frequentissima est literae ת ܬ praeformativae syllabae passivae אִת ܐܬ transpositio cum sibilantibus ש, צ, ס, ז et ܫ, ܨ, ܣ, ܙ, v. g. אִשְׁתְּמַע, ܐܫܬܡܥ, translocatione autem facta ת, ܬ post צ, ܨ transit in ט ܛ, post ז ܙ in ד ܕ. (cf. §. 23. 1, c.)

C. Abjectio consonantium.

Consonantes quaedam in scribendo excidunt, quin suppleantur, praeprimis quiescibiles et liquidae, quae consonantium abjectio ab initio vocis literis vacuis plerumque accidit (*Aphaeresis*), similiter in media voce, si alia praecedit vacua (*Syncope, Elisis*) et rarius in fine vocis (*Apocope*).

1. Abjiciuntur ab initio vocis:

a) א ܐ, v. g. חַד, ܚܰܕ pro אֶחָד, ܐܰܚܰܕ, נַשׁ, ܢܳܫ pro אֱנָשׁ, ܐܢܳܫ.

b) י ܝ et ן ܢ, uti in imperativo, v. g. דַע pro יְדַע, סַק pro נְסַק, ܦܽܘܩ pro ܢܦܽܘܩ, ܣܺܡ pro ܣܺܝܡ.

2) Abjiciuntur in media voce eaedem literae et similes vocali destitutae; litera praecedens, si est vacua, accipit vocalem literae elisae, v. g. אֵכֶל ܐܶܟܽܘܠ pro אֶאֱכֹל et ܐܐܟܘܠ, אִתַּגַּר pro אִתְאַגַּר, ܢܶܠܦ pro ܢܶܐܠܦ, similiter ה in מַנּוּ pro מַנְהוּ; porro liquidae Lomad, Mim, Nun et Risch, v. g. ܓܽܘܦܬܳܐ pro ܓܽܘܦܢܬܳܐ *vitis*, ܚܰܨܳܐ pro ܚܰܢܨܳܐ *lumbus*, אֶלָּא pro אִן לָא, אִלּוּ pro אִן לוּ, ܡܰܣܒܳܐ (ex ܡܰܣܒ ܐܦܳܐ); nonnunquam et Thau, v. g. שַׁבָּא pro שַׁבַּתָּא, ܫܶܬܳܐ pro ܫܶܬܬܳܐ; rarius ע, uti עֲטַלֵּף pro עֲטַל עָף.

3. In fine abjiciuntur:

Thau femininorum, v. g. מַלְכוּ ܡܰܠܟܽܘ pro מַלְכוּת ܡܰܠܟܽܘܬ; in Targumim בֵּי (ܒܰܝ) pro בֵּית (ܒܰܝܬܳܐ); ן in יְמְטוּ pro יְמְטוּן, כּוּ pro כּוּן, אִי pro אִין; ם in קָאֵי pro קָאֵם, תֵּיקוּ pro תֵּיקוּם, nonnunquam ע et ה, v. g. שְׁבַ pro שְׁבַע; ב in תּוּ pro תּוּב; ר in אֲמַר, v. g. אֵימָא pro אֵימַר, ף in יוֹסֵי pro יוֹסֵף etc.

D. Adjectio consonantium.

Fieri solet, ut euphoniae et facilitatis causa in vocibus formandis consonantes ab initio et in fine apponantur aut mediae voci inserantur; praeprimis Olaph cum reliquis quiescibilibus ac He et Nun rei huic inserviunt.

1) Additio ab initio vocis literae Olaph (*Prosthesis*) fieri solet: a) in illis vocabulis, quae a duabus consonantibus in-

cipiunt, v. g. אַטְרַף = טְרַף, אַחְמַר pro חֲמַר, שְׁתָא et אִשְׁתִּי, ܐܶܬܡܳܠ pro ܬܡܳܠ, ܐܶܟܡܰܢ pro ܟܡܰܢ; b) praeprimis in vocibus exoticis, quodsi sibilans cum quadam alia consonante conjunctim primam syllabam constituat, v. g. אַכְסָן ܐܰܟܣܢܳܝܳܐ = ξένος, אַקְסִיל = ξυλόν, ܐܶܣܦܘܓܳܐ σπόγγια etc. Occurrunt tamen et exempla, in quibus Olaph prostheticum non additur, v. g. סַפּוּקְלָטוֹר *speculator*, ܣܛܶܦܰܢܳܘܣ Στέφανος; c) imo et aliis vocibus, uti: אֲדוֹרָה δῶρα, אִלְפָּס λοπάς, ܐܺܝܕܳܐ *manus*, ܐܺܝܩܺܐ = εἰκῆ, אִיטַלְיָא ܐܺܝܛܰܠܝܰܐ Ἰταλία.

Not. Rarius ח et ע prosthetice accedunt, v. g. חַלְטְתָא = ܟܬܳܐ, עֲרַק pro רַק.

2) Literarum in media voce insertio haud raro accidit (*Epenthesis*), praeprimis litera Nun in compensationem signi Dagesch fortis inseritur, v. g. יִנְדַּע pro יִדַּע, saepius in suffixis, v. g. אַנְתְּ, אַנְתּוּן et in vocibus graecis, v. g. אַנְפִּילוֹן = πυλών. — In dialecto syriaca tale Nun epentheticum occultatur, v. g. ܐܢ̄ܬ, ܐܰܢ̄ܬܽܘܢ, ܐܰܢ̈ܬܶܝܢ, ܣܽܘܢܗܳܕܽܘܣ σύνοδος; similiter in vocabulis graecis post literam ρ pro spiritu aspero litera He inseritur, v. g. פַּרְהֶסְיָא παῤῥησία, סַנְהֶדְרִין συνέδριον, ܪܗܽܘܡܺܝ = Ῥώμη, ܪܗܳܕܳܘܣ = Ῥόδος; imo post ܘ, v. g. ܐܶܘܰܢܓܶܠܝܳܘܢ εὐαγγέλιον et ad αι exprimendum, e. g. ܬܰܕܰܐܝܳܘܣ Θαδδαῖος; nonnunquam et liquidae ל et ר inseruntur, ut: כָּרְסֵא pro כִּסֵּא = ܟܽܘܪܣܝܳܐ *thronus*, nec non ܐ post praeformativa futuri, ut ܬܐܚܶܐ *vives* a ܚܝܳܐ.

3. Tandem et in fine vocum literae adjunguntur (*Paragoge*), praeprimis litera Nun in 1. et 3. persona praeteriti, v. g. קְטַלוּן = ܩܛܰܠܽܘܢ, ܩܛܰܠܢܰܢ, קְטַלְנָן = ܩܛܰܠܢ imo et futuri, quando ultima syllaba desinit in vocalem, v. g. תִּקְטְלִין = ܬܶܩܛܠܺܝܢ pro תִּקְטְלִי; rarius tale Nun apparet in imperativo, v. g. ܚܙܰܘܢ = חֲמוּן *videte*, קְרוֹן *clamate*. Raro aliis in vocibus Nun paragogicum additur, ut: חֶלְבּוֹן *Aleppo*, פַּרְעוֹן = ܦܰܪܥܽܘܢ pro heb. פַּרְעֹה; ܫܠܶܝܡܽܘܢ = heb. שְׁלֹמֹה. Similiter litera Jud paragogice accedit ad 2. et 3. pers. fem. futuri, uti: ܬܶܩܛܠܺܝܢ

E. De literis gutturalibus.

1) Literae gutturales א, ה, ח, ע = ا, ه, ح, ع, quibus et litera ר, ر adnumeratur, amant vocalem *a*, cum harum pronuntiatio e gutture jam naturâ suâ effert hanc vocalem; proclivitas illarum literarum ad vocalem *a* imprimis in fine vocum cernitur, v. g. אֲמַר, שְׁמַע, ܡܠܟܐ, ܥܒܪ etc.

2) Praeterea in dialecto chaldaica his literis eaedem regulae sunt applicandae, quae valent in lingua hebraea, uti: compensatio signi Dagesch fortis, quod gutturalia non ferunt, prolongatione vocalis praecedentis, v. g. בָּרֵךְ; usus Pathach furtivi, v. g. שְׁבִיחַ, רוּחַ, et Schwa compositi, v. g. אֱזַל, יַעֲבֵר.[1])

§. 9. De literarum infirmarum mutationibus.

Literae א, ו, י, ا, و, ي uti apud Hebraeos et Arabes, ita etiam apud Aramaeos consonarum et vocalium vices gerunt, hinc jure semivocales appellantur. Ubi talis litera consonans est, mobilis, ubi vero vocalis vicem gerit, quiescens seu quiescibilis nominatur; quia dein literae hae non semper figuram suam retinent sed variis mutationibus sunt obnoxiae, in oppositionem consonarnm firmarum eis nomen infirmarum est impositum. Nonnunquam enim literae hae praecedentis vocalis sonum induunt et quasi vocalescunt seu quiescunt, aut a vocali proxime praecedente vel a consonante conjuncta influxum patiuntur, ita ut in aliam literam infirmam vocali praecedenti homogeneam aut consonanti annexae respondentem convertantur, aut plane abjiciantur; hinc regulae, quibus omnes literarum infirmarum proprietates innituntur, triplicis sunt generis: A. Quietis, B. Conversionis et C. Abjectionis.

---

1) Cf. W. Gesenius, Hebräische Grammatik. l. c. §. 22.

§. 10. De regulis Quietis literarum infirmarum.

I. Regula Quietis: Literae infirmae ad quietem rediguntur, si vocalis, in qua possunt quiescere, aut jam praecedit, aut e litera infirma in proxime praecedentem literam vacuam est praemissa, v. g. in יֵאכֵל = ܢܐܟܘܠ (litera א quiescit in Zere et ܐ in Rebozo); similiter ܡܐܟܘܠ = מֵיכַל vel מֵאכַל, אֵקִים pro אַקְיִם, ܐܩܝܡ pro ܐܩܝܡ, ܩܘܡܬܗ pro ܩܝܡܬܗ.

Not. a. In quibusnam vocalibus literae infirmae quiescere possint, supra §. 3. Adnot. 4. jam dictum est.

Not. b. In dialecto syriaca Jud ab initio vocis positum quiescit in sua vocali homogenea, v. g. ܝܠܕ (iled non jiled). Syri et Olaph, quod ex analogia proprie esset vacuum, ab initio vocum quiescere jubent atque vocalis tantum sono efferunt, quin et hujus vocalis signum appingunt, v. g. ܐܡܪ (emar) pro chald. אֲמַר, ܐܠܗܐ (aloho) pro אֱלָהּ.

II. Regula Quietis. Si praecedit vocalis heterogenea literam quamdam infirmam, ista vocalis assimilatur subsequenti literae infirmae, ut haec in vocali assimilata quiescat; hinc dicitur אוֹסִיפָה pro אֲוְסִיפָה. In dialecto autem syriaca in tali casu vocalis non assimilatur; dicitur enim ܐܘܣܦ non ܐܘܣܦ *auxit*.

Not. a. A quiete literarum infirmarum distingui debet earum otium; otiantur seu plane non pronunciantur literae infirmae, si post literam vacuam aut aliam quiescentem efferri nequeunt orthographiae autem et etymologiae gratia scribuntur; hoc otium rarissime in dialecto chaldaica, saepius in syriaca occurrit. Otiatur autem

a) Olaph in pronominibus ܐܢܬܘܢ et ܐܢܬܝܢ participio praesentis formandi causa additis, v. g. ܩܛܠܝܢ ܐܢܬܘܢ (kotlitun) ultimo vocis praecedentis Nun non audito; similiter in ܡܐܐ (mo) *centum*, ܣܓܝܐܐ *multus*, אַמְטִיאוּ *obtulerunt*.

b) Vau in terminatione verborum vocali nulla praecedente, ut ܩܛܠܘ (k'tal), quod Vau saepe abjicitur = ܩܛܠ; dein in nonnullis nominibus post aliud Vau quiescens, v. g. ܫܘܘܕܝܐ (schudojo) *promissio.* [1])

---

[1]) Juxta alios grammaticos Vau hoc occultatur.

c) Jud quoque otiatur in terminationibus verborum, ut ܩܛܠܬܝ (k'talt) *interfecisti* fem., ܩܛܘܠܝ (k'tul), in pronomine ܐܢܬܝ (at) *tu* et in suffixis ܝ, ـܟܝ, ـܝܟܝ, ـܢܟܝ, ـܘܗܝ, ـܝܗܝ, v. g. ܡܠܟܘܗܝ (malkau) *reges ejus*, ܡܠܟܝ (malk) *rex meus*; denique in nonnullis substantivis et adverbiis, v. g. ܐܡܬܝ (emath) *quando*.

Not. b. A quiete et otio iterum distinguenda est occultatio literarum, de qua vide §. 4. 4. d.

§. 11. De regulis Conversionis literarum infirmarum.

Litera infirma nonnunquam mutatur seu convertitur in aliam literam infirmam et quidem: 1) aut ob vocalem, 2) aut ob consonantem annexam; statuuntur ideo duae Conversionis regulae. Si convertitur litera infirma in aliam infirmam ob vocalem annexam, dicitur applicata prima conversionis regula; si conversio dependet a consonante, statuitur secunda conversionis regula.

I. Regula Conversionis. Si litera infirma non est homogenea vocali, quae aut jam fuit in litera proxime praecedente, aut ex ipsa litera infirma est praemissa in literam proxime praecedentem vacuam ideoque quiescere nequit, aut diphthongum facere non amat: a) litera infirma non raro abit in aliam literam infirmam isti vocali homogeneam, v. g. Aleph, quamvis nonnunquam immutatum manet et quiescit, tamen saepe convertitur in Je, quoties praecedunt vocales *e* vel *i*, ut: גְּלֵית pro גְּלֵאת, תֵּיקְרֵי pro תֵּיקְרֵא, ܟܝܒ pro ܟܐܒ, ܪܝܫ pro ܪܐܫ.

b) Literae infirmae praecedentibus heterogeneis vocalibus abeunt in aliam literam infirmam, quae quidem non omnino est homogenea praecedenti vocali, huic autem proprior ac cognatior est, quam litera infirma originaria; sic in utraque dialecto Vau mutatur in nonnullis casibus in literam Je, quia haec proprius accedit ad vocalem *a* praecedentem, quam

2*

litera Je, v. g. תֵּיבִין *revertentur* dicitur pro תֵּוּבִין; ܐܶܬ݂ܩܰܝܰܡ *stabilitus est* pro ܐܶܬ݂ܩܰܘܰܡ.

II. Regula Conversionis. Si in Chaldaico litera infirma aliam literam infirmam proxime praecedentem sequitur, illa in hanc infirmam mutatur, quo facto geminatio per signum Dagesch locum habet, v. g. נְבִיֵּי pro נְבִיאֵי.

§. 12. De regulis Abjectionis literarum infirmarum.

I. Regula Abjectionis. Abjiciuntur literae infirmae radicales in media voce ob proxime subsequentes literas formativas: Je et Vau, v. g. תִּגְלִין = ܬܶܓ݂ܠܶܝܢ *revelabis* (femin.), יִגְלוּן = ܢܶܓ݂ܠܽܘܢ *revelabunt*; ob Nun epentheticum et ante suffixa, v. g.: אַחֲוִנַן, חֲוִנִי, ܚܰܘܳܢ *ostende nobis* (pro ܚܰܘܳܝܢ), ܐܰܚܶܝܢܝ *vivifica me* (pro ܐܰܚܳܝܢܝ).

II. Regula Abjectionis. Litera infirma per regulam conversionis in aliam infirmam mutata aut per regulam quietis in quietem redacta excidit plerumque, si est litera Aleph, v. g. יֵלֵף = ܢܰܠܶܦ *docebit* pro יֵאלֵף et ܢܶܐܠܰܦ, גְּלָת = ܓ݁ܠܳܬ݂ a גְּלָא = ܓ݁ܠܳܐ *revelavit,* raro vero, si est Je vel Vau et quidem non solum in syllaba clausa, sed et in syllaba aperta eo tantum discrimine, quod in dialecto chaldaica in syllaba clausa adsit vocalis brevis, longa autem in syllaba aperta, quae regula rursus exceptionibus locum dat, v. g. קָם pro קְוַם, e quo per 1. reg. conv. fit קָאם vel קָם, similiter ܩܳܡ pro ܩܘܰܡ = ܩܳܐܶܡ seu ܩܳܐܶܡ et ejecto Olaph = ܩܳܡ, קָמוּ = ܩܳܡܘ.

Not. a. Quamvis literarum infirmarum proprietates triplici regularum nunc enumeratarum classi innitantur, tamen istae regulae non semper in lingua aramaea sunt applicatae.

Not. b. In dialecto syriaca Olaph ex Vau ortum et ejectum requirit vocalem Sekofo pro Petocho, nam Sekofo respondet vocali chaldaicae ָ, hinc קָם = ܩܳܡ.

§. 13. De Concentratione.

1. Litera in eadem syllaba bis occurrens semel tantum scribi solet imposito huic literae in dialecto chaldaica signo geminationis seu Dagesch forti, i. e. literae hae **concentrantur**, quae concentratio semper fit, nisi adsint obstacula hanc prohibentia eaque: a) duplicatio literae hujus ante concentrationem instituendam, v. g. דְּקַק et b) prolongatio vocalis (immutabilis) inter duas vocis literas easdem, quae essent concentrandae, ut: חֲבִיב dilectus. Si concentratio instituitur, vocalis prioris e concentrandis literis removetur et quidem aut abjicitur, quando consonans proxime praecedens est mota, aut in consonantem proxime praecedentem remittitur, si haec est vacua, v. g.: גִּנָּא pro גִּנְנָא *hortus,* בַּזְּתָא pro בְּזַזְתָּא *praedatus es.* Quomodo Syri signum hoc suppleant, supra §. 4. 3 dictum est.

Not. a. Concentratio haec in lingua aramaea non ubique est applicata, ubi ex analogia aliorum locorum supponitur, v. g. in אִתְחַבַּן; imo occurrunt voces chaldaicae, in quibus ad analogiam dialecti syriacae facta concentratione signum geminationis omittitur, v. g. דִּקְנָא = ܕܩܢ pro דִּקְקְנָא.

Not. b. In dialecto chaldaica signum Dagesch non solum literae concentrandae, sed et in ejus locum literae praecedenti imponitur, si ab initio praeformativa litera accedat, v. g. אַדִּק pro אַדְקֵק = ܐܕܩ.

Not. c. Quamvis in Syriaco non adsit geminationis signum, tamen ex aliis indiciis, sive e consonantibus, sive e vocalibus concentratio facta cognoscitur et formae distinguuntur, v. g.: ܩܛܠ = קַטֵּל.

2. Concentratio non solum locum habet, si eaedem literae penes se occurrunt, sed etiam, si alia litera sive praecedat sive subsequatur, et quidem litera praecedens plerumque Nun, Je et Olaph mutatur in eandem, quae subsequitur literam, i. e. ei *assimilatur,* v. g. אַפֵּק pro אַנְפֵּק = ܐܦܩ, מַלֵּךְ pro מִילַךְ vel subsequens praecedenti assimilatur, v. g. אִתְּכֵל pro אִתְאֲכֵל; ܐܬܬܟܠ pro ܐܬܐܟܠ.

§. 14. De Vocalium mutationibus.

1. Vocales sunt aut invariabiles seu **impurae**, aut variabiles seu **purae**. Vocales impurae, quae abjici aut permutari nequeunt, sed manent, sunt vocales longae, quae cum litera infirma homogenea sunt nexae et in dialecto syriaca vocales illae, post quas ex analogia dialecti chaldaicae Dagesch forte poni debuisset, v. g. ܩܕܝܫ = קַדִּישׁ *sanctus*. Syllabae apertae (simplices seu purae) longa vocali uti solent, clausae (compositae seu mixtae) vocalem brevem amant; nihilominus et his vocales longae tribuuntur. Ceterum in Targumico-chaldaico sermone vocalium systema valde est irregulare.

Not. Matres lectionis bene sunt distinguendae a literis quiescentibus, hae enim vocales proxime praecedentes prolongant seu protrahunt ideoque literae quiescentes vel **literae protractionis** appellantur; matres vero lectionis si quando occurrunt, vocalibus prolongandis non inserviunt, sed pleonastice adsunt, libenter enim sunt retentae, postquam vocalium signa jam in textum sunt illata.

2. Vocales variabiles seu **purae** variis obnoxiae sunt mutationibus et proprietatibus, ad quas referuntur earum permutatio, transpositio, abjectio et assumptio.

a) **Permutantur** vocales longae in breves, si syllaba clausa tonum amittit, v. g. כָּלְהֵין a כֹּל, breves in longas abeunt tum in pausa, v. g. אֱמָר pro אֱמַר, tum ante gutturales dagessandas, v. g. מְבָרֵךְ pro מְבַרֵךְ. Syri libenter vocalem *a* permutant cum *o*, v. g. ܓܠܐ = גְּלָה, ܐܘܪܡ = אֲרָם, et *e* cum *i*, ut: ܢܐܡܪ pro ܢܐܡܪ.

b) Vocales etiam ex uno loco in alium in vocibus aramaeis **translocantur**; sic vocalis e vocis syllaba subsequente praemittitur in literam proxime praecedentem vacuam, si ob accrementum finale vocalis haec esset ejicienda, ad dignoscendam autem vocis formam est necessaria, v. g. קַטְלֵה a קְטַל, ܩܛܘܠܘܗܝ *occidite illum* ex ܩܛܘܠܘ cum suffixo, ܩܘܕܫܐ ex ܩܘܕܫ.

Not. Voces duae syriacae ܩܘܒܠ *contra* et ܩܘܕܡ *ante* praefixa litera Lomad ac accedente suffixo 1. pers. singul. atque 2. et 3. pers. plural. vocalem ܘ literae ܩ praemittunt, v. g. ܠܘܩܒܠ, ܠܘܩܕܡܝܗܘܢ, e contra: ܠܩܘܒܠܢ *contra nos*; in dialecto chaldaica haec regula in similibus his vocibus non semper est applicata, v. g. לְקָבֵל et לְקֳבֵיל ex קְבֵיל, לְקֳדָם et לִקְדָם a קֳדָם.

c) Vocales abjiciuntur in ultimis syllabis ob accrementum finale, nisi sint vocales characteristicae vel impurae, aut retineantur ad evitandum plurium consonantium concursum; hinc: עָלְמָא ܥܠܡܐ ex עָלַם ܥܠܡ, קָטְלִין ܩܛܠܝܢ e קְטַל ܩܛܠ; e contra קַטְּלוֹ et ܩܛܠܗ, קַטְּלָתְּ et ܩܛܠܬ.

d) Assumuntur vocales auxiliares in duarum consonantium vacuarum concursu ab initio vocis et quidem in dialecto chaldaica plerumque Chirek, v. g. לְמִלַּךְ יִקְטֵל; in syriaca plerumque Petocho, v. g. ܩܛܠܬܐ pro ܩܛܠܬܐ etiam in media voce ut: ܐܬܩܛܠ pro ܐܬܩܛܠ, imo et Chebozo in literis ܐ, ܝ et ܟ ab initio vocis, v. g. ܐܡܪ, ܝܗܒ, ܟܗܢ.

Not. a. Si literam, quae recipit vocalem auxiliarem, in sermone chaldaico sequitur gutturalis cum Schwa composito, vocalis auxiliaris non differt a vocali signi Schwa compositi, v. g. יַעֲדֵי pro יַעְדֵי. Non raro vocalis auxiliaris et Schwa compositum sequentis literae resolvuntur in vocalem longam, ut: לֵאדִין pro לֶאֱדִין, בֵּאלָהֵהּ pro בֶּאֱלָהֵהּ.

Not. b. Si post vocalem auxiliarem est litera gutturalis cum Schwa composito, hoc nonnunquam resolvitur in vocalem, quae est hujus signi, v. g.: יֶהֶוְיָן pro יֶהֶוְיָן, aut Schwa compositum abit in Schwa simplex, ut: תַּעְבְּדוּן pro תַּעַבְדוּן vel תַּעֲבְדוּן.

Not. c. Ante Vau vacuum Syri eligunt Ezozo, in quo Vau quiescit, v. g. ܚܘܕܘܬܐ pro ܚܕܘܬܐ *gaudium*. Conjunctio וּ abit (sicut in lingua hebraica) ante consonantes vacuas et ante literas ב, ם, ף in וּ, syriaca autem conjunctio ܘ recipit Petocho, v. g. ܘܩܛܠ.

PARS SECUNDA.

Formarum doctrina.

Orationis partes sunt: I. Pronomina, II. Verba, III. Nomina et IV. Particulae.

I. CAPUT.

De Pronomine.

§. 15. A. De Pronomine personali.

Pronomen personale duplex est, aut separatum sive simplex aut suffixum sive ceteris vocibus annexum.

1. Pronomina separata sunt sequentia.

		Chaldaica.	Syriaca.
		Singul.	
1. pers. com.		אֲנָא (אֲנָה) *ego*	ܐܢܐ
2. pers.	com.	אַתְּ, אַנְתְּ (אַנְתְּה) *tu*	ܐܢܬ
	fem. raro	אַנְתְּי	ܐܢܬܝ
3. pers.	masc.	הוּא (הוּ, הָא, אִיהוּ, אִנְהוּא) *ille*	ܗܘ, ܗܘ
	fem.	הִיא (אִיהָא אִיהִי) *illa*	ܗܝ, ܗܝ.
		Plural.	
1. pers. com.		אֲנַחְנָא, נַחְנָא (אֲנַן) *nos*	ܚܢܢ
2. pers.	masc.	אַתּוּן, אַנְתּוּן *vos*	ܐܢܬܘܢ
	fem.	אַתֵּין אַנְתֵּן	ܐܢܬܝܢ

	Chaldaica.	Syriaca.
3. pers. masc.	הִנּוּן, אִנּוּן *illi* (הִמּוֹ, הִמּוֹן)	ܗܶܢܽܘܢ, ܐܶܢܽܘܢ
fem.	אִנִּין, אִנֵּן, אִינֵּן *illae* (אִנְהֵי, אִנְהֵין, הִנִּין, הִנֵּן)	ܗܶܢܶܝܢ, ܐܶܢܶܝܢ

Adnotanda.

1. Pronomina personalia in secunda et tertia persona genus discernunt, prima persona est generis communis.

2. הִמּוֹן et הִמּוֹ occurrunt in Chaldaismo biblico tantum (Daniele 2, 34. et Esra 4, 10; 5, 5.).

3. ܐܢܘܢ in significatione verbi abstracti *esse* recipit lineam occultantem (§. 4. 4. d. *α*.), imo Olaph saepe abjicitur et pronomen voci praecedenti adjungitur; v. g. ܩܳܛܠܺܝܢܽܘܢ pro ܩܳܛܠܺܝܢ ܐܢܽܘܢ, quod et fit in pronomine ܗܢܽܘܢ, v. g. ܩܰܒܶܠܢܽܘܢ pro ܩܰܒܶܠ ܗܢܽܘܢ.

4. De ܗܘ et ܗܝ conf. §. 4. 4. d. *β*. Emphatice repetitum, ut: ܗܽܘ ܗܽܘ ܗܽܘ *idem ille,* ܗܽܘܝܽܘ (pro ܗܽܘ ܗܽܘ) *hic ipse* (*ipse est*), ܗܺܝ ܗܺܝ ܗܺܝ *haec eadem, hoc idem* significat.

2. Pronomina suffixa.

Forma horum suffixorum ad partem non ab ea, quae nunc in usu est pronominis forma, sed ab obsoleta et antiquata est orta, partim e separatis decurtata. Verbis annexa plerumque accusativum pronominis indicare solent, nominibus vero conjuncta genitivum (possessivum) significant, particulis denique adjecta formant separatorum suorum casus; sunt autem sequentia:

A. Suffixa verbi.

	Chaldaica.	Syriaca.
	Singular.	
1. pers. com.	a) ַנִי, b) נִי, c) ִי	a) ܰܢܝ, a) ܳܢܝ, b) ܢܝ, c) ܝ, d) ܢܝ

		Chaldaica.	Syriaca.
2. pers.	masc.	a) ־ָךְ, b) ךְ	a) ـَܟ, b) ܟ.
	fem.	a) ־ֵךְ (־ֵיךְ), b) ךְ, ־ֵכִי	a) ـܶܟܝ, b) ܟܝ, d) ـܶܟܝ.
3. pers.	masc.	a) ־ֵהּ (־ֵיהּ), b) וֹהִי, הִי	a) ـܶܗ, 2) ـܰܘܗܝ (ـܰܝܗܘܗܝ), b) ܗܝ, 2) ܘܗܝ, d) ـܘܗܝ
	fem.	a) ־ַהּ (־ַהּ, ־ָא), b) הָ (הָא)	a) ـܳܗ, 2) ـܶܝܗ (ـܝܗ), b) ܗ.

Plural.

1. pers. com.		a) ־ָנָא (־ָן), b) נָא (־ֵינָא)	a) ـܰܢ, 2) ـܰܝܢ, b) ܢ, d) ـܰܢ
2. pers.	masc.	כוֹן (כוֹן, כוֹם, כוֹ)	a) ـܟܽܘܢ, d) ـܟܽܘܢ
	fem.	כֵן (כִי)	a) ـܟܶܝܢ, d) ـܟܶܝܢ.
3. pers.	masc.	a) ־ִנּוּן, b) נוּן, c) (הוּן, הוֹם, הוֹ)	ܐܶܢܽܘܢ separatum manet.
	fem.	a) ־ִנֵּן, ־ִנָּן, b) נֵּין, נָּן, c) (הֵן, הֵין)	c) ܗܽܘܢ c) ܗܶܝܢ.

Adnotanda.

1) Quodvis suffixum est duplicis formae, incipit enim aut a consonante, aut a vocali. Haec, quae sub a) indicantur, annectuntur verbis, ubi in consonantem (excepta ܝ Syrorum) exeunt, illa sub b) indicata annectuntur verbis, ubi terminantur chaldaice in ו (וֹ), ־ַי, ־ָ, syriace in ܘ et ܝ otiosum, quod ante suffixa ut ـܶܟܝ et ـܶܝ pronunciatur; ubi b) deest, in a) jam comprehenditur; sub c) indicantur suffixa, quae cum praepositionibus מִנּ, לְ, בְּ = ܠ, ܒ junguntur; d) denique indicat formas annectendas solis verbis syriacis in ܝ desinentibus. Formae rariores clausulis sunt inclusae.

2) In Chaldaico Nun epentheticum saepius verbum inter et suffixum ponitur, rarius in Syriaco.

3) Syri proprie carent suffixis verborum 3. pers. plur., eorum loco usurpantur separata, quae verbo semper postponuntur.

B. Suffixa Nominis.

Suffixa nominis, quae non multum distant a suffixis verbi, sunt duplicis generis: aut singularia, quae cum nominibus utriusque generis in numero singulari positis (et cum nominibus femin. plur.) conjunguntur, aut pluralia, quae nominibus pluralibus masculinis accedunt; haec plerumque cum Jod incipiunt, quod quidem ad pluralem nominis formam pertinet cum suffixo autem plane coalescit.

a) Suffixa nominum masc. et femin. singularium (et fem. plur.).

		Chaldaica.	Syriaca.
		Singular.	
1. pers. com.		ִי	ܝ
2. pers.	masc.	ָךְ	ـܳܟ (ܟ)
	fem.	ֵךְ (ִיךְ)	ـܶܟܝ (ܟܝ)
3. pers.	masc.	ֵהּ	ـܶܗ
	fem.	ָהּ	ـܳܗ
		Plural.	
1. pers. com.		ָנָא	ـܰܢ (ܢ)
2. pers.	masc.	כוֹן (כוֹם)	ܟܽܘܢ
	fem.	כֵן	ܟܶܝܢ
3. pers.	masc.	הוֹן (הוֹם)	ܗܽܘܢ
	fem.	הֵין	ܗܶܝܢ.

Nota. a. Pro ֵהּ in Targumim saepe וֹהִי, saepius ֵיהּ occurrit.

Not. b. Suffixum 1. pers. sing. in Syriaco non pronuntiatur, unde variae oriuntur vocalium mutationes.

b. Suffixa nominum masc. pluralium.

Chaldaica.	Sing.	Plur.	Syriaca.	Sing.	Plur.
1. p. c.	ַי	c. ַנָא	1. p. c.	ـܝ	c. ـܝܢ
2. p. m.	ָיךְ ,(ָךְ)	m. ֵיכוֹן	2. p. m.	ـܝܟ	m. ـܝܟܘܢ
2. p. f.	ַיִךְ	f. ֵיכֵן	2. p. f.	ـܝܟܝ	f. ـܝܟܝܢ
3. p. m.	וֹהִי, וֹי	m. יהוֹן	3. p. m.	ـܘܗܝ	m. ـܝܗܘܢ
3. p. f.	ַהָא	f. יהֵן	3. p. f.	ـܝܗ	f. ـܝܗܝܢ

Not. a. Suffixa pluralia regulariter nominibus masculinis tantum junguntur; nomina feminina recipiunt in Chaldaico plerumque in Syriaco semper suffixa singularia.

Not. b. Suffixa pluralia etiam nectuntur praepositionibus iis, quae origine sua sunt nomina pluralia et quidem: עַל ܥܠ *super,* בֵּין ܒܝܢ *inter,* קֳדָם ܩܕܡ *ante,* בָּתַר *post,* ܚܠܦ *pro,* ܠܘܬ vel ܓܒ *a, juxta,* תְּחוֹת ܬܚܝܬ *sub* et alia, imo ܡܛܠ *propter* ordinarie et ܒܝܢ nonnunquam ante suffixa assumunt terminationem plur. fem. ܬ, v. g. בָּתְרַי, עֲלוֹהִי, בֵּינֵיכוֹן etc. ܒܝܢܝ, ܚܠܦܘܗܝ, ܡܛܠܬܗܘܢ, ܒܝܢܬܗܘܢ etc. Eodem modo etiam voces אִית ܐܝܬ, לֵית ܠܝܬ et כְּמָא *quot* suffixa pluralia recipiunt.

Not. c. Pronomina possessiva in lingua aramaea possunt etiam separatim nomine exprimi, ita ut suffixa verbi conjungantur cum דִּיל, ܕܝܠ (quod natum est ex דִּי = ܕ relativo et לְ, ܠ nota dativi) rarius דִּיד (ex דִּי et דְּ nota genitivi), v. g.: דִּילָךְ = ܕܝܠܟ *quod est ibi* i. e. *tuus*; non raro haec forma substantivorum more ponitur, v. g. דִּילָנוּ *nostri* (die *Unsern*), ܕܝܠܟܘܢ *vestri.*

§. 16. De reliquis Pronominibus.

A. Pronomen demonstrativum.

Chaldaic.	Syriac.
Singular.	
masc. דֵּין, דֵּן (הָדֵין) *ille* et *hic* (דֵּיכִי ,דֵּיכִי) דִּכֵּן ,דֵּיךְ ,דֵּךְ *hic*	m. ܗܘ, ܗܢܐ *hic, iste*

Chaldaic.	Syriac.
fem. דָּךְ, דָא (הָדָא), דְנָן, דְּנָא. (דְּנָה) *illa* et *haec*	f. ܗܳܕܶܐ, ܗܳܕܳܐ *haec.*

Plural.

com. אִלֵּין, אֵלֶּה, אִלֵּךְ (Dan. 3, 12) *hi* et *hae*	m. ܗܳܢܽܘܢ *hi* f. ܗܳܢܶܝܢ *hae* com. ܗܳܠܶܝܢ, ܐܳܠܶܝܢ.

Not. a. Demonstrativa notis casuum declinantur, ut: לְדֵין *huic.*

Not. b. Separatum pronomen chaldaicum cum hebraico articulo, ut הָאִלֵּין, הַהוּא et singulare demonstr. syriacum cum personalibus ܗܽܘ et ܗܝ, uti: ܗܳܢܳܐ ܗܽܘ vel ܗܳܢܽܘ, imo cum substantivis, ut: ܝܰܘܡܳܢܳܐ pro ܝܰܘܡܳܐ ܗܳܢܳܐ *hodie* coalescit et *ipsemet, idem* exprimit.

Not. c. Pronomina haec saepe respondent Graecorum articulo, quare nominibus aut praeponuntur, aut subjiciuntur.

B. Pronomen relativum est ܕܺܝ ,דִּי (heb. זֶה) vel praefixum דְּ et ܕ (דְּ tamen in Chaldaismo biblico non occurrit) pro utroque genere et numero; significat plerumque nominativum, rarius accusativum; quomodo reliqui casus exprimantur, confer Syntaxin. §. 61.

Not. Nonnunquam relativum in Syriaco cum pronom. personalibus conjungitur, v. g. ܕܗܽܘ, vel ܕ ܗܽܘ, *qui*, ܕܗܳܢܽܘܢ vel ܕ ܗܳܢܽܘܢ *qui*, vel cum demonstrativo, ut ܕ ܗܳܢܳܐ *qui*; hae formae compositae tantum ponuntur, cum relativum ad antecedentem vocem refertur; si vero relativum sententiam incipit et in sequentibus demonstrativum expresse aut implicite indicatur, alia composita in usu sunt, ut: ܡܰܢ ܕ vel ܐܰܝܢܳܐ ܕ *ille qui*, ܡܳܐ ܕ *quod* etc.

C) Pronomen interrogativum est

de persona: מַן (מוּן, מון dial. hierus.) — Syr. ܡܰܢ *quis?*

de re: מָה, מָא, מְנָא, מָנָא — Syr. ܡܳܢ, ܡܳܐ, ܡܳܢܰܘ, ܡܳܢܽܘ, ܡܳܢܳܐ *quid?*

Promiscue de persona et re usitantur:

Chal. אֵידָא (comp. ex particula interrog. אֵי et demonstrat.), אֵידֵין, אֵידָא, הֵיְדָא (אֵי זֶה, אֵי זֹאת) *quinam, quaenam, quodnam.*

Syr. ܐܰܝܢܳܐ sing.; — ܐܰܝܠܶܝܢ plur.

Not. a. Pronomen interrogativum solet coalescere cum pronom. personali: מַנּוּ pro מַן הוּ = ܡܰܢܽܘ pro ܡܰܢ ܗ̱ܘ, et cum demonstrativo: מַהֵין pro מַן הֵין.

Not. b. Casus interrogativi per notas aut praepositiones indicantur.

Not. c. Interrogativa, quibus relativum praemittitur, notant relativa, ut דְּמַן ܕܡܰܢ, *qui*, quibus vero דְּ, ܕ postponitur, demonstrativa significant, ut: מַן דִּי = ܡܰܢ ܕ *ille, qui.*

Not. d. Quomodo pronomina reflexiva et reciproca exprimantur, confer Synt. §. 62. 1.

II. CAPUT.

De Verbo.

§. 17. Praemonenda.

1) E radicibus enascuntur stirpes, quae in lingua aramaea generaliter e tribus componuntur consonantibus; e stirpibus formantur formae aut additis novis consonantibus (*formatio externa*), aut rarius vocalium mutatione (*formatio interna*), quae ulterior distinguendis imprimis verbis transitivis et intransitivis inservit. Tres illae consonantes radicales una tantum moventur vocali, v. g.: קְטַל = ܩܛܰܠ, ita ut lingua aramaea hac in re linguae primitivae (et radicibus monosyllabis) propius accedat, quam reliquae linguae cognatae. Generaliter verba transitiva vocali *a*, intransitiva vocali *e* efferuntur, v. g. קְטַל = ܩܛܰܠ *occidit*, קְרֵב = ܩܪܶܒ *accessit.*

2. Origine sua verba sunt a) aut primitiva (quoad maximam partem), b) aut derivativa, quae rursus distinguuntur in derivativa *α*) verbalia, prout derivantur a verbis aliis, in derivativa *β*) denominativa, quae a nominibus originem repetunt, v. g. שָׁרֵשׁ *eradicare* a שֹׁרֶשׁ *radix*; ܐܶܦܨܰܚ *pascha peragere* a ܦܶܨܚܳܐ *pascha,* et in derivata *γ*) departicu-

lativa, quae (seriori tempore et pauco in numero) a particulis deducuntur, v. g. ܐܬܚܬ *submisit a* ܬܚܝܬ *sub.*

Not. Paucissima inveniuntur verba e lingua graeca desumta ut: טַקֵּס, ܛܰܟܶܣ *ordinavit* a τάξις.

§. 18. De verbi Formis.

E forma primitiva seu fundamentali (technice פְּעַל *Peal*), quae est tertia persona sing. mascul. praeteriti, oriuntur modificationibus variis factis formae novae, quae improprie et minus apte *Conjugationes* nominantur. Forma primitiva, si organica respicitur evolutio, duplici modo extendi potest: intensive et extensive; forma intensiva quae intensionem conceptus verbi primitivi significat, e fundamentis enascitur modificatione interna et iteratione (duplicatione) consonantis mediae (technice פַּעֵל *Paël*), extensiva vero causam actionis denotans oritur externo accremento ab initio vocis (technice אַפְעֵל *Aphel*). Quaeque harum formarum iterum praefixa syllaba אֶת ܐܶܬ format formam reflexivam seu passivam. Cum tamen formis his usitatissimis plerumque adnumeratur et altera forma minus usitata, quae cum tertia forma ejusdem est significationis (technice שַׁפְעֵל *Schaphel*), habentur quatuor diversae verbi formae activae et quatuor correspondentibus formis passivis adjectis octo formae, quae hebraicis et formatione et significatione non sunt absimiles, et quidem:

I. Peal קְטַל = ܩܛܰܠ *occidit.*

II. Paël formatur e prima forma duplicatione mediae radicalis קַטֵּל = ܩܰܛܶܠ, respondet formae Piël Hebraeorum et formae II. Arabum.

III. Aphel formatur praefixâ primae radicali literâ א (ה), ܐ mota per vocalem *a*; in secunda syllaba est vocalis *e* vel *i* אַקְטֵל = ܐܰܩܛܶܠ, respondet formae Hiphil Hebraeorum et formae IV. Arabum.

IV. Schaphel enascitur (uti III) e forma prima praefixo שְׁ, ܫܰ, שַׁקְטֵל = ܫܰܩܛܶܠ et respondet formae X. Arabum.

Formae passivae correspondentes sunt:

I. Ethpeel: אִתְקְטֵל = ܐܶܬ݂ܩܛܶܠ
II. Ethpaal: אִתְקַטַּל = ܐܶܬ݂ܩܰܛܰܠ
III. Ethtaphal: אִתַּקְטַל = ܐܶܬܬܰܩܛܰܠ
IV. Eschtaphal: אִשְׁתַּקְטַל = ܐܶܫܬܰܩܛܰܠ.

§. 19. De verbi Flexione generatim.

1. Aramacis ut reliquis Semitis sunt duo tempora: Praeteritum seu Perfectum (Aoristus I.) et Futurum seu Imperfectum (Aoristus II.), quae temporum formae modis etiam adnumerantur; nam perfectum Indicativum simul, imperfectum Subjunctivum et Optativum simul denotat. Modis accensentur: Infinitivus, Imperativus (etiam in formis passivis) et Participium (duplex in activis formis). Omnes hae formae exoriuntur e forma primitivà aut literis praeformativis additis aut vocalibus mutatis; flexio personarum autem fit literis prae- et afformativis, quae plerumque e pronominibus personalibus originariis derivantur. Formatio flexionis in omnibus omnino verbis et per omnes eorum formas (activas et passivas) plane eadem est; quia vero in verbis quibusdam ob naturam radicalium modificationes certae sunt instituendae, verba sub hoc respectu dividuntur in perfecta seu regularia, quorum radicales semper sunt praesentes et immutatae, et in imperfecta seu irregularia, quorum radicales variationibus certis sunt obnoxiae.

2. In sermone Aramaeo duplex numerus habetur: Singularis et Pluralis. Genus distinguitur masculinum et femininum; communis generis est tantum prima persona, quae semper praesens cogitatur ideoque distinctione haud indiget.

§. 20. De flexione verbi perfecti.

A. Praeteriti seu Aoristi I. Peal.

(vid. I. Tab.)

Flexio verbi in praeterito seu Aor. I. fit per notas afformativas, quae in utraque dialecto aramaea literis radicalibus in fine annectuntur; hae afformativae sunt sequentes:

		Chald.			Syriac.
Sing.			**Sing.**		
3. pers.	m.	—	3. p.	m.	ـ
	f.	ַת—		f.	ـܰܬ
2. pers.	m.	תְּ— (תָּ—, תָּא—, תָּה—)	2. p.	m.	ـܬ
	f.	תְּ— (תִּי—)		f.	ـܬܝ
1. pers. c.		ֵת— (ֵית—, ֵתִי—)	1. p. c.		ـܶܬ
Plur.			**Plur.**		
3. pers.	m.	וּ— (וּן—)	3. p.	m.	ـܘ (ـܘܢ)
	f.	ָא—, ָה— (אָן, ָן—)		f.	ـܝ (ـܶܝܢ)
2. pers.	m.	תּוּן— (תּוּ—)	2. p.	m.	ـܬܘܢ
	f.	תֵּן— (תִּין—)		f.	ـܬܶܝܢ
1. pers. c.		נָא— (נָן—)	1. p. c.		ـܢ (ـܢܰܢ).

Adnotanda.

1) His afformativis accedentibus ultima verbi vocalis aut retinetur aut abjicitur; si accrementum finale constat e sola litera protractionis aut otiante (in Syriaco) vel incipit a consonante non quiescente, vocalis verbi ultima retinetur ante accrementum finale, abjicitur autem, si afformativum incipit a vocali.

Abjicitur ergo vocalis in 3. pers. femin. et 1. pers. singular. praeteriti, — et in 2. pers. fem. sing. ac 2. et 3. person. masc. et femin. plural. futuri. In 3. pers. fem. et 1. pers. sing. praet. assumitur sub prima radicali ad concursum plurium consonantium vacuarum evitandum vocalis auxiliaris ְ—, ֱ—.

2) In 3. feminina singulari invenitur etiam forma segolata ־ַת, ־ֶת (־ֵית), ־ִת et ־ִית. In 3. persona plural. (masc. in Chaldaico, masc. et femin. in Syriaco) accedit nonnunquam Nun paragogicum, hinc ־וּן pro ־וּ, ܘܢ et ܝܢ pro ܘ et ܝ, imo in recentioribus Paraphrasibus Nun paragogicum etiam 3. p. plur. fem. chald. additur, ita ut ex ־ָא fiat ־ָאן vel ־ָן, e contra in 2. pers. plur. Nun nonnunquam abjicitur, hinc ־תוּ pro ־תוּן.

3) Quia in Syriaco literae ܘ et ܝ, quibus flexio indicatur, sunt literae otiantes (§. 10. II. Not. a.), voces in pronuntiatione non discernuntur, quamvis istis literis scribantur; nonnunquam hae literae otiantes etiam scribendo negliguntur.

4) Accedentibus afformativis, quae vocali tantum consistunt, ad verba chaldaica tonus remanet in penultima syllaba, hinc קְטַ֫לוּ, קְטַ֫לָא, קְטַ֫לִי.

PARADIGMA.

Singul.

3. pers.	m.	קְטַל	ܩܛܰܠ
	f.	קְטָלַת	ܩܶܛܠܰܬ
2. pers.	m.	קְטַלְתְּ (קְטַלְתָּא)	ܩܛܰܠܬ
	f.	קְטַלְתְּ (קְטַלְתִּי)	ܩܛܰܠܬܝ
1. pers. c.		קִטְלֵת	ܩܶܛܠܶܬ

Plural.

3. pers.	m.	קְטַלוּ (קְטַלוּן)	ܩܛܰܠܘ (ܩܛܰܠ et ܩܛܰܠܘܢ)
	f.	קְטַלָא (קְטַלָן)	ܩܛܰܠܝ (ܩܛܰܠ et ܩܛܰܠܶܝܢ)
2. pers.	m.	קְטַלְתּוּן	ܩܛܰܠܬܘܢ
	f.	קְטַלְתֵּן	ܩܛܰܠܬܶܝܢ
1. pers. c.		קְטַלְנָא (קְטַלְנַן)	ܩܛܰܠܢ (ܩܛܰܠܢܰܢ).

Adnotanda ad Paradigma.

Prima radicalis ipsius radicis aramaicae est vacua, secunda autem mota plerumque per ־ַ, ־ܰ in transitivis, et

ַ (ַי), ִ (ִי) rarius ܶ, syriace ܶ in verbis praecipue intransitivis et semipassivis, ad quae referuntur, quae animi affectum et qualitatem designant, hinc: כְּתַב, ܟܬܰܒ *scripsit*, בְּטֵל, ܒܛܶܠ *cessavit*, יְתֵב, ܝܬܶܒ *sedit*, כְּאֵב, ܟܐܶܒ *doluit*. Nonnulla, quae sub secunda radicali duplicem vocalem admittunt, ejusdem aut diversae sunt significationis, v. g. דְּמוּךְ et דְּמַךְ *dormivit*, ܫܠܶܡ et ܫܠܶܡ *integer fuit*, רְחֵם et רְחַם (רְחִים) *dilexit*, ܦܠܶܓ *divisus fuit* et ܦܠܰܓ *divisit*. — Haec vocalis ֵ, ִ, ܶ, ܶ sub secunda radicali retinetur in flexione praeteriti, ubi reliqua verba ְ ܳ habent, v. g. שְׁאֵלְנָא, סְלִקוּ, ܫܶܠܡܘ, imo et in 3. p. fem. et 1. p. sing., ut: קְטִלִית, ܫܶܠܡܶܬ; nonnunquam in syllaba clausa ֵ in ֶ abbreviatur, ut: שְׁאֶלְנָא.

Not. In verbis cum *a* in praet. praeter formas קְטַלַת קְטִלַת in textu Venet. etiam occurrit קְטַלַת et קְטָלַת (in polyg. Lond. קְטַלַת et קְטֵלַת).

B. Futuri seu Aoristi II. Peal.
(vid. I. Tab.)

Futurum seu Aoristus II., qui Imperativi instar quoad vocales formatur, notis praeformativis ת, נ, י, א chald. et ܬ, ܢ, ܐ syr. ab initio verborum additis flectitur, ubi autem hae praeformativae literae generi et numero distinguendis haud sufficiunt, in fine accrementa distinctiva accedant oportet; hinc flexio futuri fit sequenti modo:

		Chald.	Syriac.
Sing.			
3. p.	m.	.... י	ܢ ....
	f.	.... ת	ܬ ... (ܢ)
2. p.	m.	.... ת	ܬ ....
	f.	ת . ִין (ִי)	ܬ ... ܝܢ (ܢܳܝ)
1. p. com.		.... א	ܐ ....
Plur.			
3. p.	m.	י .. ־וּן (וּ)	ܢ ... ܘܢ
	f.	י ... ָן	ܢ ... ܢ

	Chald.	Syriac.
2. p. m.	ת .... ־ון	ܬ .... ܘܢ
2. p. f.	ת .... ־ָן	ܬ .... ܢ
1. p. c.	נ	ܢ ....

Adnotanda.

1. Syri in 3. pers. sing. masc. et 3. pers. plur. utriusque generis pro Jud habent ܢ praeformativum (forsitan ex ܗܘܐ ortum). In Paraphrasibus Proverbiorum etiam Nun pro Jod invenitur more syriaco, v. g. נִגְדּוֹל, נִנְטַר. In 2. et 3. pers. fem. singul. Syri plerumque (Chaldaei in 2. pers. fem. sing. tantum) admittunt ܝ otiosum seu paragogicum.

2. Vocalem imperativi futurum retinere solet; admittit igitur tres: *u*, *a* et *e*, ita ut ֹ, ܽ transitivis, ַ, ܰ et ֵ (ִי) vel ֶ (ֵי), ֶ intransitivis tribuant, et quidem verba, quorum praeteritum *e* habet, in futuro plerumque *a* recipiunt, imprimis ante tertiam radicalem gutturalem, v. g. תִּקְרַב, אֶפְתַּח, ܐܶܦܬܰܚ; quaecunque verba praet. *a* pronuntiant, libenter in futur. *u* et in chaldaico etiam *o* recipiunt, v. g. יִתְקוֹף, יִדְמוּךְ. Ast in verbis transitivis et vocalis *e* in futuro invenitur, v. g. תִקְטֵיל, ܢܶܣܒ. Nonnulla verba in futuro plures vocales possunt assumere, quae tamen plerumque influunt in sensum, v. g. יִתְקַף *valeat* et יִתְקוֹף *valebit*, יִשְׁלַט *imperet* et יִשְׁלוֹט *solet imperare*, ܢܶܫܠܰܚ *exuet* et ܢܶܫܠܽܘܚ *mittet*, ܢܶܛܒܰܥ *immersus erit* et ܢܶܛܒܽܘܥ *obsignabit*; in nonnullis autem verbis diversitas vocalium non efficit diversitatem significationis, v. g. ܢܶܣܰܪ et ܢܶܣܽܘܪ *circumdabit* a ܣܪ.

PARADIGMA.

Sing.

	Chald.	Syriac.
3. p. m.	יִקְטֹל	ܢܶܩܛܽܘܠ
3. p. f.	תִּקְטֹל	ܬܶܩܛܽܘܠ (ܠܶܗ)
2. p. m.	תִּקְטֹל	ܬܶܩܛܽܘܠ
2. p. f.	(לִי) תִּקְטְלִין	ܬܶܩܛܠܺܝܢ (ܠܶܟܝ)
1. p. c.	אֶקְטֹל	ܐܶܩܛܽܘܠ

		Chald.	Syriac.
Plur.			
3. p.	m.	יִקְטְלוּן	ܢܶܩܛܠܽܘܢ
	f.	יִקְטְלָן	ܢܶܩܛܠܳܢ
2. p.	m.	תִּקְטְלוּן	ܬܶܩܛܠܽܘܢ
	f.	תִּקְטְלָן	ܬܶܩܛܠܳܢ
1. p. c.		נִקְטֻל	ܢܶܩܛܽܘܠ

§. 21. De Imperativo formae Peal.

Imperativus in 2. radicali eandem vocalem cum futuro habet; hinc potest formari per *u*, *a* et *e*, remanente tamen prima radicali vacua. Distinguitur genus in utroque numero, ita, ut in feminino singulari et masculino plurali Nun paragogicum nonnunquam excidat.

PARADIGMA.

		Chald.	Syriac.
Sing.			
2. p.	m.	קְטֻל	ܩܛܽܘܠ
	f.	קְטֻלִי	ܩܛܽܘܠܝ
Plur.			
2. p.	m.	קְטֻלוּ (לוּן)	ܩܛܽܘܠܘ (ܢ)
	f.	קְטֻלָא (לָן)	ܩܛܽܘܠܶܝܢ (ܩ̈ܛܽܘܠܝ)

Not. a. Raro in Chaldaico scriptura plena occurrit: קְטוֹל, nonnunquam juxta analogiam hebraicam invenitur כְּתוֹב, בְּחוֹן.

Not. b. In formis ܩܛܽܘܠܝ, ܩܛܽܘܠܘ et ܩ̈ܛܽܘܠܝ (cum Ribui, ut distinguatur a singulari) Jud et Vau literae finales otiantur, accedente autem Nun paragogico quiescunt.

§. 22. De Infinitivo et Participio Peal.

1) Nota characteristica Infinitivi formae Peal in lingua aramaea est litera מ ܡ primae radicali vacuae praemissa cum vocali auxiliari eaque in Chald. ַ, ֶ vel ִ, in Syriaco ܰ; secunda radicalis mota est vocali ָ, ܳ in illis verbis

praecipue, quorum 2. radicalis in ipsa radice jam est insignita *a*, hinc: מַקְטַל vel מִקְטַל = ܡܩܛܠ.

Not. a. In dialecto chald. nonnunquam et quidem in Paraphrasibus junioribus assumitur in infinitivo terminatio in אָ (vel. heb. ־ָה) et in syriaca in ܘ praecedente ܘ, hinc: מִסְעֲרָא et לְמִבְנְיָה, ܡܩܛܠܘ. In Talmudico terminatio in י vel א occurrit, v. g. עֲנוּאֵי, הֲלוֹכֵי. In Chaldaico infinitivus nonnunquam format מְקַטַּל vel מְקַטּוֹל, rarius juxta analogiam linguae hebraicae קְטוֹל vel קְטוֹל, in Syriaco raro cum Vau otiante occurrit, ut: ܡܥܪܘܩ *discedere*.

Not. b. Duplici infinitivi forma, quam Hebraei distinguunt, absoluta et constructa Aramaei non gaudent. Infinitivus solet cum ל, ܠ praefixo conjungi, uti: לְמִקְטַל = ܠܡܩܛܠ. Ubi praepositio מ (pro מִן) est praefigenda, manet ל, ne duo מ concurrant, v. g. מִלְּמִקְטַל *ab occidendo*.

2) Participium formae Peal (sicut reliquarum formarum activarum) est duplex: activum et passivum.

A. Participium activum Aramaeorum simillimum est participio Hebraeorum; nam 1. radicalis mota est in Chaldaico vocali ָ impura (hinc in lingua arabica *a* cum Aleph protractionis قَاتِل), in Syriaco vocali ܳ; secunda radicalis in utraque dialecto est insignita vocali ֵ, ֶ, ִ (ִי) = ܶ, nisi ob tertiam gutturalem posita sit vocalis *a*, v. g. פָּלַח = ܦܳܠܰܚ. Distinguitur in participio nominum instar genus et numerus.

PARADIGMA.

		Chald.	Syriac.
Sing.	m.	קָטֵל	ܩܳܛܶܠ
	f.	קָטְלָא	ܩܳܛܠܳܐ
Plur.	m.	קָטְלִין	ܩܳܛܠܺܝܢ
	f.	קָטְלָן	ܩܳܛܠܳܢ.

Not. Cum ָ sub 1. rad. sit impura seu longa, manet per omnes formationes; si 1. rad. gutturalis est, nonnunquam pro ָ ponitur ֲ, v. g. חֲכְמִין, חֲשְׁחִין, rarissime vocalis ָ literam pro-

tractionis, א appositam habet, ut: מָארֵי = מָרֵי *fortis*, vel שָׁאנֵי = שָׁנֵי (talm.) *alienans*.

B. Participium passivum (*Peïl*) in utraque dialecto inter 2. et 3. radicalem assumit literam Jod quiescentem in ִי, ְ prima radicali vacua remanente. Chaldaei sub secunda radicali nonnunquam vocalem ְ admittunt, v. g. תְּקִיל *appensus*, et Syri sub prima ܿ, v. g. ܬܡܝܗ *stupefactus*. Hoc participium semper sensum passivum habet, quamvis nonnunquam in nostris linguis quasi circumscriptive per activum vertitur, v. g. טְעִין = ܛܥܝܢ *portans* (proprie *oneratus*), ܐܒܝܠ *lugens* (proprie *contristatus*), סְמִיךְ *vicinus, conterminus* (i. e. *annexus*). Hinc:

		Chald.	Syr.
Sing.	m.	קְטִיל	ܩܛܝܠ
	f.	קְטִילָא	ܩܛܝܠܐ
Plur.	m.	קְטִילִין	ܩܛܝܠܝܢ
	f.	קְטִילָן	ܩܛܝܠܢ.

3) Aramaei conjungunt utrumque participium cum pronominibus personalibus ad praesens significandum, ita tamen, ut pronomina decurtata cum participiis, quorum genus et numerus in contractione servatur, in unam vocem coalescant et quidem in 1. et 2. pers. sing. et pluralis.

a) Participium activum cum pronom. contractum.

		Chald.	Syriac.
Sing.			
1. p.	m.	קָטֵל אֲנָא = קָטְלְנָא	——
	f.	קָטְלָא אֲנָא = קָטְלָאנָא	——
2. p.	m.	קָטֵל אַתְּ = קָטְלַתְּ	ܩܛܠ ܐܢܬ = ܩܛܠܬ
	f.	קָטְלָא אַתִּי = קָטְלַתִּי	ܩܛܠܐ ܐܢܬܝ = ܩܛܠܬܝ
Plur.			
1. p.	m.	קָטְלִין אֲנַן = קָטְלִינַן	ܩܛܠܝܢ ܚܢܢ } = ܩܛܠܝܢܢ
	f.	קָטְלָן אֲנַן = קָטְלָנַן	ܩܛܠܢ ܚܢܢ }
2. p.	m.	קָטְלִין אַתּוּן = קָטְלִיתּוּן	ܩܛܠܝܢ ܐܢܬܘܢ = ܩܛܠܝܢܬܘܢ
	f.	קָטְלָן אַתֵּין = קָטְלָתֵּין	ܩܛܠܢ ܐܢܬܝܢ = ܩܛܠܢܬܝܢ

b) Participium passivum cum pronom. contractum.

		Chald.	Syriac.
Sing.			
1. p.	m.	קְטִילְנָא	—
	f.	קְטִילְאנָא	
2. p.	m.	קְטִילַת	ܩܛܝܠܬ
	f.	קְטִילְתִּי	ܩܛܝܠܬܝ
Plur.			
1. p.	m.	קְטִילִינַן	ܩܛܝܠܝܢܢ
	f.	קְטִילָנַן	
2. p.	m.	קְטִילִיתּוּן	ܩܛܝܠܝܬܘܢ
	f.	קְטִילָתֵּין	ܩܛܝܠܬܝܢ.

4) Praeter hanc formationem in Chaldaismo biblico (Daniele et Esra) participium Peil coalescit etiam cum afformativis praeteriti et flectitur ad normam Aoristi I., qua coalitione praeteritum passivum loco formae Ithpeel formatur.

PARADIGMA.

Sing.			Plur.		
3. p.	m.	קְטִיל	3. p.	m.	קְטִילוּ
	f.	קְטִילַת		f.	קְטִילָא
2. p. c.		קְטִילְתְּ	2. p.	m.	קְטִילְתּוּן
				f.	קְטִילְתֵּן
1. p. c.		קְטִילֵת	1. p. c.		קְטִילְנָא

Not. In Paraphrasibus (Ed. Ven.) talis contractio etiam in participio activo occurrit, ut: פָּתְחַת, אָמְרוּ, נָפְקוּ, סָבִיתוּן.

§. 23. De reliquis formis auctis verbi perfecti.
(vid I. et II. Tab.)

A. Praeteritum et Futurum.

Omnes reliquae formae derivatae eodem modo quo Peal flectuntur, sunt autem notanda quoad singulas:

1) Ethpeel. a) Passivae formae formantur ex activis

praefixa particula אֶת ܐܶܬ (= אִית vel יֵשׁ *existentia*). Significat talis forma personam sese agentem *(das Sich selbst thuende)* et correspondet formae mediae Graecorum cum significatione reflexiva vel passiva. Intransitiva in forma passiva plerumque eandem cum activa forma habent significationem, v. g. ܦܢܳܐ et ܐܶܬܦܢܺܝ *rediit.*

b) Sub secunda radicali ponitur —ַ, (—ִ), —ֵ, non raro —ֶ, —ܰ praeprimis, si tertia radicalis fuerit gutturalis vel ר, ܪ, v. g. אִתְקְטֵל vel אִתְקְטִל (אִתְקְטִיל) = ܐܶܬܩܛܶܠ et אִתְקְטַל, ܐܶܬܕܰܒܰܪ *conversatus fuit.*

c) De transpositione literae ת, ܬ cum sibilantibus ejusdemque mutatione post ז, ܙ in ד, ܕ et post צ, ܨ in ט, ܛ conf. §. 8, B. hinc:
אִשְׁתְּבֵק, ܐܶܫܬܒܶܩ a שְׁבַק, ܫܒܰܩ *reliquit*, אִצְטְלַב ܐܶܨܛܠܶܒ a צְלַב, ܨܠܰܒ *suspendit*, אִסְתְּמֵךְ, ܐܶܣܬܡܶܟ a סְמַךְ, ܣܡܰܟ *appropinquavit*, אִזְדְּבַן, ܐܶܙܕܒܶܢ a זְבַן, ܙܒܰܢ *emit*; praeterea Chaldaeorum ת cum prima radicali ת, ט, ד assimilatione facta per Dagesch forte confluit; hinc: אִתַּקַּף pro אִתְתְּקַף *se roboravit*, אִטַּבַּע pro אִתְטַבַּע *submersus est*, אִדְּבַר pro אִתְדְּבַר *captus est.*

d) In futuro accedente litera praeformativa et אֶת ܐܶܬ ubique Olaph expungitur, hinc יִת et ܢܶܬ pro יֵאת et ܢܶܐܬ. Vocalis sub secunda radicali e praeterito etiam in futuro retinetur.

Not. a. Nonnunquam Hebraeorum instar pro אִת ponitur הִת (Hithpael), v. g. הִתְרְחִצוּ Dan. 3, 28; in futuro ad analogiam Syrorum pro יִת occurrit etiam נִת, v. g. נִתְרְחֵם (Par. 14, 9), נִתְיְדַע et in 1. pers. pro אֶת plerumque אִת, v. g. אִתְמְנַע, אִתְפְּרַע.

Not. b. In Syriaco pro ܢܶܬ in futuro nonnunquam exempla inveniuntur cum ܢܶܬ, v. g. ܢܶܬܒܰܣܡܰܢ (2 Cor. 3, 1.).

2. Paël et Ethpaal. a) Character harum formarum est geminatio secundae radicalis (in Chaldaico per Dagesch forte, quod signum Syri nonnunquam supplent Olaph inserto, v. g. ܐܰܦܶܩ *extulit* pro ܦܰܩ). Prima radicalis utriusque formae et secunda passivae formae est mota per vocalem —ַ, —ܰ, secunda vocalis formae Paël plerumque est —ֵ (vel

ـֵי), ـֶ, non raro ـַ, ـَ (praecipue ante tertiam gutturalem et ר, ܪ) vel etiam ـִי, ـֶ,

hinc: קַטֵּל (קַטֵּיל), קַטַּל (קַטִּיל), שַׁדַּר
ܩܰܛܶܠ, ܩܰܛܰܠ ܫܰܕܰܪ
אִתְקַטַּל = ܐܶܬ݂ܩܰܛܰܠ.

b) Praeformativae futuri Paël servatis vocalibus praeteriti sunt vacuae, hinc יְקַטֵּל ܢܩܰܛܶܠ excepta litera Aleph 1. pers. sing., quae recipit ـֶ (nonnunquam ـֱ vel ـֵי), ـֶ, hinc אֲקַטֵּל (אֱבַשֵּׂר Jes. 42, 9, אֵימַלֵּי Deut. 32, 1), ܐܶܩܰܛܶܠ.

c) Quoad significationem 1) Paël significationem intransitivam Peal *α*) reddit *transitivam*, v.g. דַּמֵּי, ܕܰܡܺܝ *assimilavit* a דְּמָא, ܕܡܳܐ *similis fuit*; si vero verbum in Peal jam transitivum est, ibi aut *β*) intendit significatum, v.g. רַחֵם, ܪܰܚܶܡ *valde dilexit* a רְחַם, ܪܚܶܡ *amavit*, aut *γ*) causativum facit, v. g. סַלֵּק *ascendere fecit* a סְלֵק *ascendit*, ܚܰܬܶܡ *obsignare fecit* a ܚܬܰܡ *obsignavit*, quo et pertinent notiones *jubendi*, *permittendi*, *censendi* et *declarandi*, v. g. ܙܰܕܶܩ *justum declaravit*; denique *δ*) nonnunquam ejusdem significationis est ac Peal, v. g. שַׁלֵּט, ܫܰܠܶܛ *dominatus est* = שְׁלֵט, ܫܠܶܛ.

2) Ethpaal significationem activam Paël *α*) convertit in passivam, v. g, אִתְקָרַב, ܐܶܬ݂ܩܰܪܰܒ *adductus est* a קָרֵב, ܩܰܪܶܒ *adduxit*, vel *β*) in reciprocam, v.g. ܐܶܬ݂ܕܰܡܰܪ *miratus est*, aut reflexivam ut אִתְהַלַּךְ *se elevavit*, vel *γ*) notat fieri id, quod Peal indicat atque ejusdem cum Peal est significationis, ut: אִסְתַּכַּל, ܐܶܣܬܰܟܰܠ *intellexit* ut סְכַל, ܣܟܰܠ.

3) Aphel et Ethtaphal.

a) Aphel formatur אַ, ܐܰ radici praemisso, quod tamen ante praeformativa infinitivi, futuri et participiorum excidit, ita ut haec, quae vacua erant, ejus vocalem recipiant, secunda radicalis habet plerumque ـֵ (ـֵי) vel ـִי, ـַ aut ـֶ, ـَ ante 3. gutturalem seu ר, ܪ; hinc אַקְטֵל (אַקְטֵיל, אַקְטִיל), ܐܰܩܛܶܠ, אַפְלַח et ܐܰܦܠܰܚ.

N o t. Pro א in Chaldaismo biblico invenitur saepe ה secundum analogiam Hebraeorum, quae litera etiam in futuro et participio inter praeformativum et radicem retinetur, v. g. הִתְהַנְזֵק, יְהַשְׁנֵא, הַכְרְזוּ; imo nonnunquam plane punctatio formae Hiphil occurrit, v. g. הֶאֱחִיל Dan. 7, 22. In Syriaco nonnunquam servatur Olaph non obstantibus praeformativis praeprimis in verbis, in quibus radicalis quaedam fuit olisa, v. g. ܡܐܚܐ a ܚܐ *vixit.*

b) Ethtaphal, quae rarius invenitur, formatur ab Aphel ita, ut syllabâ אִתְ ܐܶܬ praemissâ Olaph characteristicum formae Aphel cum ת, ܬ commutetur; secunda radicalis mota est vocali ַ, ܰ, hinc אִתַּקְטַל ܐܶܬܬܰܩܛܰܠ.

N o t. In Syriaco in tota 2. person. sing. et plural. futuri propter concursum trium ܬ unum ejicitur, hinc ܬܶܬܩܰܛܰܠ pro ܬܶܬܬܩܰܛܰܠ = תִּתַּקְטַל; imo nonnunquam Olaph in hac forma retinetur nec in ܬ mutatur, v. g. ܐܶܬܐܟܺܝܒ pro ܐܶܬܬܟܺܝܒ *laesus est.* Loco hujus formae Syri saepius utuntur Ethpeel.

c) Significatio formae 1) A p h e l est α) c a u s a t i v a (ut Paël), v. g. אַקְרֵב et קָרֵב *adduxit* a קְרֵב *accessit*, ܐܰܝܬܺܝ *adduxit*, et quidem saepe cum duplici accusativo, ut אַלְבֵּשׁ, ܐܰܠܒܶܫ *induit;* β) recipit forma haec n o t i o n e s *censendi, declarandi, jubendi, curandi, permittendi* etc. γ) utitur non raro significatione i n t r a n s i t i v a, v. g. ܐܰܢܗܰܪ *illuxit*, hinc verba, quae colorem indicant, formam hanc (uti in lingua arabica formam nonam) amant, v. g. אַסְמֵק ܐܰܣܡܶܩ *rubuit,* ܐܰܚܘܰܪ *albuit.*

E t h t a p h a l habet aut α) p a s s i v a m significationem formae Aphel, aut β) cum Peal e j u s d e m est significationis, v. g. ܐܶܬܬܰܘܬܰܒ *sedem accepit* et ܝܺܬܶܒ *habitavit.*

4) S c h a p h e l et E s c h t a p h a l.

a) S c h a p h e l formatur שַׁ, ܫܰ loco Olaph formae tertiae praefixo, quacum ratione formationis, flexionis ac significationis habita convenit.

b) In forma E s c h t a p h a l, quae ab activo praemisso אִתְ ܐܶܬ et vocali *e* in *a* mutata formatur, Thau cum Schin transponitur. (cf. §. 8. B.), hinc: אִשְׁתַּקְטַל = ܐܶܫܬܰܩܛܰܠ. Significatio est p a s s i v a, vel r e c i p r o c a, vel i n t r a n s i t i v a.

§. 24. De Infinitivis et Participiis formarum auctarum verbi perfecti.

1) Infinitivi formarum auctarum in utraque dialecto terminantur in אָ— et ܘܳ— praecedente vocali ָ et ܳ; praeterea Syri praeformativum ܡ assumunt, quod Chaldaei respuunt.

PARADIGMA.

Ethpeel:	אִתְקְטָלָא	ܡܶܬܩܛܳܠܽܘ
Paël:	קַטָּלָא	ܡܩܰܛܳܠܽܘ
Ethpaal:	אִתְקַטָּלָא	ܡܶܬܩܰܛܳܠܽܘ
Aphel:	אַקְטָלָא	ܡܰܩܛܳܠܽܘ
Ethtaphal:	אִתַּקְטָלָא	ܡܶܬܬܰܩܛܳܠܽܘ
Schaphel;	שַׁקְטָלָא	ܡܫܰܩܛܳܠܽܘ
Eschtaphal:	אִשְׁתַּקְטָלָא	ܡܶܫܬܰܩܛܳܠܽܘ.

Not. Pro terminatione א ָ infinitivorum in Chaldaismo biblico plerumque ponitur ה ָ, in Paraphrasibus autem ו, v. g. דַּבָּרוּ Exod. 13. 21. In formis Paël et Aphel earumque passivis nonnunquam Syrorum instar מ praefigitur, v. g. מְהַלָּכָא Cant. 1, 7, מַבְאָשָׁא Deut. 32, 23., מִתְרְחָצָא Ps. 118, 9.

2) Participia verborum in formis auctis formantur e 3. pers. sing. masc. praeteriti, cujus vocalis in 2. radicali servatur literâ מ ܡ praemissâ, qua accedente א ܐ in Aphel et omnibus passivis formis emittitur. E formis activis simul formatur participium passivum mutata tantum vocali secundae radicalis *e* in ַ, ܰ, quod discrimen et obtinet in participiis activis et passivis linguae arabicae.

PARADIGMA.

Paël	act.	מְקַטֵּל	(מְקַטֵּיל)	ܡܩܰܛܶܠ
	pass.	מְקַטַּל		ܡܩܰܛܰܠ
Aphel	act.	מַקְטֵל	(מַקְטֵיל)	ܡܰܩܛܶܠ
	pass.	מַקְטַל		ܡܰܩܛܰܠ
Schaphel	act.	מְשַׁקְטֵל		ܡܫܰܩܛܶܠ
	pass.	מְשַׁקְטַל		ܡܫܰܩܛܰܠ

Ethpeel:	מִתְקְטֵל	ܡܬܩܛܠ
Ethpaal:	מִתְקַטַּל	ܡܬܩܛܠ
Ethtaphal:	מִתַּקְטַל	ܡܬܬܩܛܠ
Eschthaphal:	מִשְׁתַּקְטַל	ܡܫܬܩܛܠ.

Not. a. In participiis tum genus tum numerus distinguitur, hinc in feminino terminantur in א —ָ, ܐ—, in plur. masc. in ין —, ܝܢ—, et femin. ן—ָ, ܢ—.

Not. b. In Chaldaico nonnunquam Hebraeorum instar ה assumitur, ut: מְהַחְצְפָה pro מְחַצְפָה *dura*; in Syriaco etiam interdum Olaph retinetur praeprimis in verbis, quibus una radicalis excidit, v. g. ܡܚܐܝܢ a ܚܝܐ *vixit.*

§. 25. De Imperativo formarum auctarum.

Imperativus formarum auctarum convenit cum uniuscujusque 3. pers. sing. praeteriti; distinguitur femin. sing. per ִי—, ܝ— et plur. masc. per ו (וּן), ܘ ac femin. per נָא (ן—ָ), ܝܢ hinc:

PARADIGMA.

Sing. Pael 2 p.	m. קַטֵּל	ܩܛܠ	Aphel:	אַקְטֵל	ܐܩܛܠ	
	f. קַטִּלִי	ܩܛܠܝ				
Plur. 2 p.	m. קַטִּלוּ	ܩܛܠܘ	Schaphel:	שַׁקְטֵל	ܫܩܛܠ	
	f. קַטִּלְנָא	ܩܛܠܝܢ				
Ethpeel:	אִתְקְטֵל	ܐܬܩܛܠ	Ethtaphal:	אִתַּקְטַל	ܐܬܬܩܛܠ	
Ethpaal:	אִתְקַטַּל	ܐܬܩܛܠ	Eschtaphal:	אִשְׁתַּקְטַל	ܐܫܬܩܛܠ	

Not. In Syriaco imperativi formarum passivarum I. et II. (et III. ac IV. nonnunquam) distinctionis gratia sub secunda radicali recipiunt lineam diacriticam (§. 4. 4. e. γ.) praecedente —ַ.

§. 26. De verbis pluriliteris et formis rarioribus.

1) E verbis triliteris enascuntur verba quadri- et plurilitera eodem modo quo apud Hebraeos et Arabes, et

quidem addita aliqua litera servili vel ab initio, v. g. ܡܣܟܶܢ *pauperem fecit* a ܣܟܶܢ, תַּרְגֵּם, ܬܰܪܓܶܡ *interpretatus* est, vel in medio, ut: ܕܰܪܡܶܟ a ܕܪܶܟ *gressus fuit*, vel in fine, v. g. ܪܰܫܶܢ *caput fecit* a ܪܫܐ *caput*. Verba haec in flexione proxime accedunt ad formas Paël et Ethpaal, hinc: ܣܰܪܒܶܠ, סַרְבֵּל *obtexuit* et pass. ܐܶܣܬܰܪܒܰܠ. סַרְהֵב et אִסְתַּרְהַב. Permulta ab exoticis verbis et nominibus potissimum graecis ducta sunt ita tamen, ut non raro literarum una aut plures exciderint, v. g. קַטְרֵג = ܩܰܛܪܶܓ *accusavit* a κατηγορεῖν, ܦܰܛܪܶܟ *patriarcham constituit*. Significatio quadriliterorum plerumque est transitiva, non raro tamen intransitiva et eadem cum verbo trilitero, sed tunc saepe intensiva.

Not. Si in verbis quadriliteris est una litera infirma, in Chaldaico locum habere potest quies vel abjectio hujus literae et verbum apparet triliterum, cujus prima radicalis pronuntiatur vocali impura, qna indicatur secunda radicalis, v. g. שֵׁיזֵב vel שֵׁזֵב *liberavit* pro שַׁיְזֵב, שֵׁיצִי vel שֵׁצִי *absolvit*. Si in verbis syriacis quadriliteris secunda radicalis est infirma, haec non quiescit sed diphthongum constituit, v. g. ܡܰܘܪܶܒ.

2) Praeter formas supra recensitas in paucis tantum exemplis etiam aliae obviae sunt, quae oriuntur apposita litera quiescente aut reduplicatione unius vel duarum radicalium ideoque non immerito ad classem pluriliterorum referuntur. Accedunt autem omnes ad formas Paël, Aphel, Schaphel earumque passiva plerumque cum eadem significatione, et quidem

a) ad formam Paël et Ethpaal accedunt:

α) Pauel vel Poël (chaldaic.) cum earum passivis, v. g. סוֹפֵק, שׁוֹמֵם et אִשְׁתּוֹמַם, ܓܰܘܙܶܠ *inflammavit* et ܐܶܬܓܰܘܙܰܠ; β) Paiel ܫܰܝܦܶܢ *passus est*; γ) Pamel ܫܰܡܠܶܫ *mansit*; δ) Parel ܓܰܪܓܶܠ *volvit*; ε) Pali ܣܰܠܕܶܒ *terruit*; ζ) Palen ܪܰܫܶܢ *principem fecit*.

b) Formae e geminatione unius vel duarum radicalium oriundae: α) Palel vel Polel cum Ethpalal et Ethpolal, v. g. טַעְמֵם et אִשְׁתַּעֲמֵם, רוֹמֵם et אִתְרוֹמַם, ܟܰܪܟܶܪ, ܐܶܬܟܰܪܟܰܪ.

β) Pealel cum Ethpealel oritur geminatione 2. et 3. radicalis, v. g. ܐܫܬܡܠܠ *integrum reddidit* a ܫܠܡ. *γ*) Palpel cum Ethpalpal per reduplicationem 1. et 2. radicalis, v. g. בַלְבֵּל *permiscuit*, גַלְגֵּל (a גְּלַל), *volvit*, ܙܥܙܥ (a ܙܘܥ), ܢܕܢܕ (a ܢܕ *movit se*) usitata praeprimis in verbis mediae geminatae et mediae Vau.

c) ad Aphel et Schaphel accedunt:

α) Maphel et Ethmaphal, *β*) Saphel et Esthaphal, v. g. סַרְהֵב = ܣܪܗܒ *festinavit; γ*) Taphel et Ethtaphal.

§. 27. De verbis gutturalibus.

Verba, quae constituuntur una e gutturalibus א, ה, ח, ע, ܐ, ܗ, ܚ, ܥ,[1]) quibus et litera ר ܪ adnumeratur, sequuntur regulas, quibus gutturales innituntur (cf. §. 8. E.); amant enim vocalem *a*, quae ponitur, ubi alias analogia grammaticalis requirit vocales *e* vel *i*, v. g. אֲזַהַר ܢܣܪ, et respuunt signum Dagesch fortis (in chaldaico), quod nonnunquam prolongatione vocalis praecedentis compensatur, v. g. בָּרֵךְ pro בַּרֵּךְ = ܒܪܶܟ. Schwa compositum, quo Chaldaei in his literis loco Schwa simplicis utuntur, est fere semper ֲ, tantummodo verba פ"א in imperativo Peal assumunt ֱ, v. g. אֱמַר. (Cetera vide §. 32.) Praeterea Patach furtivum, quod in verbis, quorum tertia radicalis est ה, ח, ע, assumitur, nonnunquam vocalem praecedentem plane extrudit, v. g. אַשְׁכִּיחַ vel אַשְׁכַּח.

Not. Occurrunt tamen et casus in futuro et imperativo cum ֵ vel ܶ, v. g. יֶחֱזֵר et ܢܶܥܒܶܕ. In verbis tertiae gutturalis 3. pers. sing. fem. praeteriti plerumque in Chaldaismo terminatur in ַ vel ֶ v. g. הֲבֶרֶת ,אֲמֶרֶת ,פַּתְחַת ,שָׁלְחַת.

[1]) Cum Aleph etiam literis infirmis accensetur, verba, quorum una radicalium est א ܐ, tractabuntur una cum verbis infirmis, vide §. 32. §. 34. §. 37.

§. 28. De verbo perfecto cum suffixis. (vid. III. Tab.)

1) Cum suffixa verborum objectum significent, intransitivis verbis et formis passivis non solent adjungi. Verba in 1. et 2. persona in utroque numero cum suffixis earundem personarum conjungere non licet, quia tali modo reflexiva enascerentur, ad quae significanda Aramaei (sicut reliqui Semitae) alia constructione (§. 62. 1.) utuntur. Verbi forma si in vocalem desinit, suffixa sine vocali recipit, si vero consonante finitur, iis vocalem praemittit. (cf. §. 15. A. 1.).

Tantummodo imperativi et participia chaldaica assumunt suffixa 1. pers. sing. et plural., quin intercedat vocalis, quod et obtinet, si suffixum 3. plur. accedit ad 3. pers. fem. sing. praeteriti.

2) Mutationes, quas causant in verbo suffixa accedentia, attingunt tantummodo vocales, quae aut abjiciuntur aut translocantur et tali modo formas ad conjunctionem cum suffixis subeundam magis accomodatas reddunt. Abjicitur autem vocalis (primae radicalis) in 3. p. fem. et 1. p. sing. praeteriti et vocalis *u* (secundae radicalis) in futuro; translocatur vocalis e syllaba secunda in praecedentem consonantem, uti in 3. p. sing. et plural. et 1. p. sing. Terminationes verbales ܘ et ܐ otiantes quiescunt ante suffixa in ـِ et ـَ. Suffixa 2. per. plur. accedentia formas non mutant; denique vocales characteristicae Paël et Aphel in prima syllaba immutatae manent. Hinc

A. Praeteritum cum Suffixis.

3. sing. mas. קְטַל, ܩܛܰܠ manet ante suffixa כוֹן, כֵן, נָא, נַן, ܟܘܢ, ܟܶܝܢ, ante reliqua mutatur in קַטְל, ܩܰܛܠ cum suff. sub a) (§. 15. A.)

3. sing. f. קְטָלַת, ܩܶܛܠܰܬ manet ante suffixa secundae pers. plur., ante reliqua abit in קַטְלַת, ܩܰܛܠܰܬ.

2. p. sing. m. קְטַלְתָּ, ܩܛܰܠܬ manet, sed accedunt suffixa Chaldaeorum sub a), Syrorum vero sub d).

2. p. sing. f. קְטַלְתְּ manet (rarius קְטַלְתִּי) ܩܛܰܠܬܝ vero mutatur in ܩܛܰܠܬܻܝ et assumit suffixa sub b).

1. p. sing. קִטְלֵת, ܩܶܛܠܶܬ mutatur in קְטַלְתְּ, ܩܛܰܠܬ et assumit suffixa sub a).

3. p. pl. m. קְטַלוּ, ܩܛܰܠܘ abit in קַטְלוּ, ܩܛܰܠܘ̣ et accedunt suffixa sub b). Chaldaei ante כוֹן, כֵן, Syri ante reliqua suffixa amant inserere Nun paragogicum.

3. p. pl. f. Chaldaeorum קְטַלָא non videtur esse in usu vel latet in forma masculina קְטַלוּ, Syrorum ܩܛܰܠܝ̈ abit aut in ܩܛܰܠܝ̈ cum suffixis sub d) vel in parag. ܩܛܰܠܶܝܢ.

2. p. pl. m. קְטַלְתּוּן, ܩܛܰܠܬܘܢ manet et accedunt suffixa Chaldaeorum sub a), vel Nun finali abjecto suffixa sub b), Syrorum vero sub d).

2. p. pl. f. Syrorum ܩܛܰܠܬܶܝܢ manet (rarissime vero occurrit) cum suffixis sub d). Chaldaeorum exempla pro hujus personae usu desiderantur.

1. p. plur. קְטַלְנָא mutatur in קְטַלְנָ accrescentibus suffixis sub b), suff. vero 2. p. sing. fem. est ךְ—(sub a), ut discernatur a masculino), ܩܛܰܠܢ manet cum suffixis sub d).

Not. In formis Paël et Aphel secunda vocalis —, — sequitur in nexu analogiam secundae vocalis formae Peal; ubi haec manet, et illa manet, ubi vero haec abjicitur vel translocatur et illa abjicitur vel translocatur. Hinc in Syriaco 3. sing. m. ac 3. pl. m. et f. in Peal et Paël cum suffixo aequant ac nonnisi e contextu erui possunt, v. g. ܩܛܠܗ (a ܩܛܰܠ vel ܩܛܰܠܘ).

B. Futurum cum suffixis.

1) Sing. Chaldaeorum יִקְטֹל Nun paragogico semper inserto ante suffixa כוֹן et כֵן abit in יִקְטְלִנְ, et ante reliqua Nun paragogico geminato in יִקְטְלִנּ, quod et valet de reliquis personis sing. — Syrorum ܢܶܩܛܘܿܠ ante suffixa ܟ݂ܘܢ et ܟ݂ܶܝܢ manet, ante reliqua suffixa (accedunt vero illa sub a) plerumque, in 3. p. semper sub a, 2. expressa), ܢܶܩܛܘܿܠ abit in ܢܶܩܛܠ, quod mutandis mutatis valet et de reliquis personis sing.

2) Plur. Chaldaeorum יִקְטְלוּן manet geminato fere semper נ ob Nun paragogicum insertum, Syrorum ܢܩܛܠܘܢ manet immutatum et assumit suffixa sub d).

C. Imperativus cum suffixis.

1) Chaldaeorum imperativus manet plerumque immutatus vel Nun paragogico inserto mutatur in קַטְלִנּ et קַטְלוּנ.

2) Syrorum 2. sing. m. ܩܛܘܠ manet cum suffixis (sub a. 2.) primae pers. sing. et plur. et tertiae sing. f., et cum suffixis (sub d.) tertiae pers. sing. m. —

2. sing. f. ܩܛܘܠܝ mutatur in ܩܛܘܠܝܢ cum suffixis sub b).

2. pl. m. ܩܛܘܠܘ abit in ܩܛܘܠܘܢ cum suffixis sub b).

2. p. f. ܩܛܘܠܝܢ rarius in usu est et ܝ ante suffixa abjicit.

D. Infinitivus cum suffixis.

1) Infinitivis Chaldaeorum accedunt suffixa vel verborum sub a) Nun tamen parag. saepe inserto (מִקְטַל f. I mutato in מִקְטְלִ) vel suffixa nominum. In reliquis formis terminatio אָ— mutatur in וּת, cui annectuntur suffixa sub a) v. g. קַטָּלוּתֵיהּ.

2) Syrorum infinitivus Peal ܡܩܛܠ cum suffixis sub a) manet ante suffixa 2. p. plur., ante reliqua autem mutatur in ܡܩܛܘܠ.

Infinitivi reliquarum formarum in ܘ terminantes substantivorum femin. instar habentur et assumunt suffixa sing. nominum (exceptis suffixis 3. pl., quae separata ad terminationem in ܘ accedunt) terminatione ܘ in ܘܬ mutata, v. g. ܡܩܛܠܘܬܝ.

Not. Syriacorum verborum personis in ܘ exeuntibus nonnunquam Nun parag. additur, quo facto suffixa sub d) accedunt, v. g. ܐܪܓܙܘܢܢܝ *irritaverunt me.*

E. Participia cum suffixis.

Participia nominum instar horum suffixa assumunt; in chaldaica dialecto tamen eis etiam suffixa verbi accedere

possunt, v. g. מְקַטְּלַנִי et מְקַטְּלִי; in syriaca participiis activis non raro praepositiones cum suffixis junctae apponuntur.

§. 29. De verbis imperfectis.

A verbis perfectis distinguuntur verba imperfecta (irregularia), quorum anomaliae ratio sita est in indole literarum radicalium, quae non semper manent praesentes nec firmae immotaeque sed variis obnoxiae sunt modificationibus. Verba haec duplicis generis sunt:

A) aut concentrata vel contracta, quae concentratione oriuntur suntque: 1) verba 1. rad. Nun פָּן ܦܢ et 2) mediae geminatae עָע ܥܥ;

B) infirma seu quiescentia, quorum una alterave radicalium est litera infirma: א, ܐ, י, ܝ, ו, ܘ, quae sunt aut primae, aut secundae, aut tertiae radicalis. Cum vero pro prima radicali Vau passim ponitur Jud et pro tertia radicali Jud et Vau litera Olaph, sequentes verborum infirmorum classes distinguuntur: 1. VV. פָּא ܦܐ et פָּי ܦܝ[1]) (i. e. 1. rad. Olaph et Jud), 2) עָא ܥܐ, עָי ܥܝ, et עָו ܥܘ et 3) לָא ܠܐ.

C) Accedunt verba dupliciter imperfecta, in quibus anomalia duplex locum habet, et defectiva.

A. De verbis concentratis.

§. 30. De verbis primae rad. Nun.
(פָּן, ܦܢ IV. Tab.)

Hebraeorum more Nun vacuum (in futuro, imperativo et infinitivo formae I. et in formis III. et IV. integris) expungitur, quod Nun Chaldaei per Dagesch forte in media radicali, aut haec si fuerit gutturalis et Resch, per longam vocalem sub

---

[1]) Significatio desumta est a voce technica פְּעַל ܦܥܠ, cujus פ ܦ primam, ע ܥ secundam et ל ܠ tertiam radicalem indicat.

litera praeformativa vel characteristica solent compensare, quae compensatio vero saepe negligitur. Syri autem, qui signo Dagesch fortis carent, nil substituunt; hinc v. g.

אֶפֵּק pro אֶנְפֵּק = ܐܦܘܩ יֵחוֹת fut., מֵחַת inf. אַחֵית Aph.
מַפֵּק pro מַנְפֵּק = ܡܦܩ. a נְחַת *descendit.*

Not. a. Amant haec verba in infinitivo et imperativo Peal in secunda radicali vocalem *a*, quamvis non adsit gutturalis, v. g. מִפַּק, פַּק et פְּק, סַב = ܦܘܩ; futurum assumit tum *a* tum *e*, tum *u*.

Not. b. Verba simul mediae rad. geminatae vel He aut Vau quiescentis nullam harum mutationum admittunt.

Not. c. In Chaldaico saepe regula haec negligitur, v. g. אַנְזִיק, מְנַזֵּק, תִּנְפּוֹל, יִנְתֵּן; in nonnullis verbis utraque forma occurrit, v. g. יַטַּר et יִנְטַר. Verbum נְתַן *dedit* in futuro vocalem characteristicam habet ֵ, v. g. אֶתֵּן.

Not. d. In Syriaco nonnunquam Olaph characteristicum in Aphel Nun expuncto retineri solet, v. g. ܐܐܟܝ a ܢܟܐ *percussit.*

§. 31. De verbis mediae geminatae.
(עָע, ܥܥ, V. Tab.)

1) Verba ea, quibus 2. et 3. radicalis est eadem simulque mobilis, sicut in ceteris linguis semiticis ita et in aramaea euphoniae gratia mediam in quibusdam formis (Peal — exceptis ejusdem participiis — Aphel et Schaphel harumque passivis) excludunt, quo facto verbum fit monosyllabum recipitque vocalem radicis. Syri geminationis signo destituti pro hac elisione nil substituunt, Chaldaei vero literam expunctam per Dagesch forte compensant et quidem: a) vel in 3. radicali, si est mota nec tamen praecedit litera praeformativa (in 3. sing. fem., 3. plur. et 1. sing. Aor. I., in 2. sing. fem. et 2. plur. masc. imperativi), b) vel in 1. radicali praecedente praeformativa (in: infinit. et Aor. II. Peal et in tota forma Aphel), c) vel plane negligunt compensationem, ubi nec 3. radicalis est mota nec litera praeformativa praecedit (in 3. sing. m., in 2. sing. et plur. et in 1. plur. Aor. I; in 2. sing. m. et 2. plur. f. imperativi Peal).

Not. Si 1. rad. fuerit gutturalis, haec vel manet simpliciter, quia geminari nequit, ut מַחַן (a חֲנַן *misertus est*), vel vero vocalis praecedens prolongatur, ut: יָחוֹד, יֵעוֹל, vel Nun inseritur, ut: נְעֵל vel אֶנְעַל pro אֶעַל (ab עֲלַל).

2) In participio activo Peal Syri mediam radicalem cum ܐ commutant, v. g. ܩܳܐܶܡ a ܩܳܡ, quod ut ܝ pronuntiatur. Quamvis Chaldaei in participio hoc radicalem mediam retinere solent ut דָּקֵק, tamen occurrit forma syriacae valde similis דָּיֵק vel דָּאֵק (Jerem. 10, 3. Ps. 57, 7; 58, 9). Si vero participium hoc in fine augetur, ita ut ܐ illud vocali destituatur, plerumque excidit, v. g. ܥܳܝܪ, ܫܳܡܝܢ. Nonnisi ܥܰܠ *intravit* retinet ܐ in plurali part., hinc ܥܳܐܠܺܝܢ.

3) Ethpeel forma est regularis אִתְקְלַל ܐܶܬܒܙܶܙ; Chaldaei mediam rad. nonnunquam expunctam per Dagesch forte compensant, ut: אִתְּקַל, אִתְּחַל.

4) Paël et Ethpaal regulariter formantur; non raro tamen formantur Palpel et Ethpalpal, v. g. קַלְקֵל, אַדְקֵדְק דְּקְדֵק, אִתְקַלְקַל, ܡܰܠܡܶܠ et ܐܶܬܡܰܠܡܰܠ, ܙܰܠܙܶܠ et ܐܶܬܙܰܠܙܰܠ, vel Poal et Ithpoal, v. g. אִתְקוֹלַל et syr. Pauel et Ethpaual, v. g. ܪܰܘܪܶܒ (pro ܪܰܒܪܶܒ *magnificavit*) et ܐܶܬܪܰܘܪܰܒ.

Not. In Aphel Olaph characteristicum post literas praeformativas interdum servatur, v. g. ܠܡܰܐܚܳܒܽܘ *amare*, ܕܐܰܛܶܠ *qui obumbravit.* In Chaldaismo biblico pro Aphel inveniuntur: הַדִּקוּ vel Hophal ut: הָעֲלוּ, הָעַל Dan. 5, 13, 17.

B. De verbis infirmis.

§. 32. De Verbis primae rad. Olaph.

(פֵּא ܦܐ VI. Tab.)

Verba haec non tantum verbis gutturalibus (§. 27.) sed et infirmis accensentur, hinc variae notandae sunt mutationes:

1) ܐ ab initio quiescens (in praet., imperat. et part. pass. Peal) adsciscit ܶ vel ܰ loco Schwa compositi Chaldaeorum, v. g. ܐܶܡܰܪ, ܐܶܟܽܘܠ, ܐܺܝܣܺܝܪ; in futuro et infinitivo Peal vocalis haec ad praeformativam literam accedentem remittitur, v. g.

ܢܐܟܘܠ, ܡܐܟܠ, ܢܐܡܪ, Chaldaeorum autem א in futuro et infinitivo Peal quiescit in ֵ, v. g. יֵאכֻל, יֵאמַר vel plerumque in י convertitur, ut: יֵיכֻל, מֵימַר, imo nonnunquam plane abjicitur, uti in 1. p. futuri; hinc אֵכֻל pro אֵאכֻל, ܐܟܘܠ pro ܐܐܟܘܠ.

2) In Ethpeel et Ethpaal א ܐ aut manet, aut praecedenti literae Thau assimilatur, hinc אִתְאֲכֵל vel אִתְּכֵל, ܐܬܐܟܠ et ܐܬܬܟܝܪ; אִתְאַכַּל et אִתַּכַּל, ܐܬܐܟܠ et ܐܬܬܢܣ.

3) In forma Paël א ܐ passim expungitur, quoties praefigitur litera vel syllaba, in quam redit vocalis ejectae literae א ܐ; v. g. אַלֵּיף et מַלֵּיף pro אַאלֵּיף et מְאַלֵּף.

4) In forma III. et IV. utriusque vocis א ܐ mutatur in ו ܘ, nonnunquam in י ܝ, quo facto Syri constituunt diphthongum, hinc אוֹכֵל vel אֵיכֵל = ܐܘܟܠ vel ܐܝܟܠ, fut. יוֹכֵל ܢܘܟܠ, pass. אִתּוֹכַל ܐܬܘܟܠ; שׁוֹכֵל vel שֵׁיכֵל, ܫܘܟܠ vel ܫܝܟܠ, pass. אִשְׁתּוֹכַל = ܐܫܬܘܟܠ.

Not. a. Formam hebraizantem induunt verba הֵימִין (הֶאֱמִין) ܗܝܡܢ *credidit* ab אֲמַן ܐܡܢ et הֵיתִי vel הַיְתִי ac ܐܝܬܝ *adduxit* ab אֲתָא ܐܬܐ *venit.*

Not. b. Verba ܐܙܠ *abiit* et ܐܬܐ *venit* abjiciunt ܐ in imperativo, hinc: ܙܠ, ܙܠܝ, ܙܠܘ, ܙܠܝܢ et ܬܐ, ܬܝ, ܬܘ (ܬܐܘ), ܬܝܢ (ܬܐܝܢ).

Not. c. Litera ܠ verbi ܐܙܠ in significatione *abeundi* (alias *profuit*) euphoniae gratia occultatur, quoties in media voce haberet vocalem, quam in praecedentem literam vacuam potius remittit (cf. §. 4. 4. d. δ.), hinc: ܐܙܠܬ pro ܐܙܠܬ, ܬܐܙܠܘܢ pro ܬܐܙܠܘܢ, ܐܙܠ pro ܐܙܠ.

§. 33. De verbis primae rad. Jud.
(פי, ܦܝ. VI. Tab.)

Plurima horum verborum juxta analogiam hebraicam sunt proprie primae rad. Vau (פו ܦܘ), quae litera autem ab initio verbi ab Hebraeis et Aramaeis, qui in universum literam Vau ab initio vocis alicujus non amant, fere semper mutatur in Jud; sunt vero triplicis generis, aut 1) propria verba פי ܦܝ, aut 2) origine verba פו ܦܘ, aut 3) verba, in quibus Jud

non qua quiescens litera habetur, sed verborum ܦܶܢ פָּן instar assimilatur. Hinc

ad 1) ܝ ab initio syllabae quiescens adsciscit vocalem ܶ (in praet. imperativ. et Peil f. I.), quae in praecedentem literam praeformativam vacuam, in literam ܐ (vocis passivae) et in praefixas: ܕ, ܘ, ܒ remittitur, v. g.: ܝܺܠܶܕ, ܒܺܝܠܶܕ. In infinit. et futuro Peal ܝ mutatur in ܐ (prima persona excepta) et secunda radicalis movetur per ܰ (in praet. ܰ), in Chaldaico autem י in imperat. et fut. quiescit in ִ, in Aphel autem in ֵ, v. g. ܐܺܝܠܰܦ ab ܝܺܠܶܦ, יִיקַר, יִיטַב, Aphel: יֵיטִיב (יְיטִיב).

Not. Litera ܗ verbi ܝܗܰܒ, ubi haberet vocalem, occultatur et vocalis transfertur in ܝ, hinc ܝܰܗܒ pro ܝܗܰܒ *dedit,* ܝܰܗܒܬ *dedisti,* ܝܰܗܒܘ *dederunt,* e contra ܝܶܗܒܶܬ *dedi* etc.

ad 2) Non adeo differunt ab hac classe verba origine ܦܶܘ פּוֹ; haec enim a) abjiciunt primam radicalem in imperativo Peal, v. g. דַּע ab יְדַע, הַב ab יְהַב, תִּיב a יְתִיב et similiter ܪܰܘ ab ܝܪܰܘ, ܗܰܒ a ܝܗܰܒ et ܐܰܠ a ܝܺܠܶܕ, b) in futuro et infinit. Peal verba chaldaica literam י quiescere sinunt in ִ vel plane ejiciunt, ut: יֵילֵד, יִידַע vel יִדַּע, מִילַד vel מֵלַד, c) in forma III. et IV. utriusque vocis et dialecti Vau originarium rursum assumunt, quod in Chaldaico in Cholem quiescit, in Syriaco autem diphthongescit, ut: אוֹלֵד, אוֹסֵף, אִתּוֹסַף, אִשְׁתּוֹתַר, ܐܰܘܠܶܕ, ܐܰܘܣܶܦ, ܐܶܬܰܘܣܰܦ, ܬܰܘܠܶܕ et ܐܶܬܝܰܠܕ.

Not. a. Pro forma chaldaica Aphel saepe occurrit hebraica forma הוֹדַע, הוֹלֵד et הוֹלַד; aliqua verba praeterea retinent Jod ut: הֵיבֵל et אֵיבִיל *duxit,* הֵיטִיב (אֵיטִיב) et אוֹטֵב *benefecit,* ܐܰܝܠܶܠ *ululavit,* ܐܰܝܢܶܩ *lactavit.*

Not. b. Formae Paël et Ethpaal sunt regulares; hinc יַתֵּב et אִתְיַתַּב, ܝܰܬܶܒ et ܐܶܬܝܰܬܰܒ; nonnulla verba tamen et in hac forma literam originariam retinent, v. g. וַתַּר, אִתְוַכְּחָא, ܘܰܠܶܕ et ܐܶܬܘܰܠܰܕ.

ad 3) Tandem verba quaedam primae rad. Jud in infin. et futur. Peal nec non in Aphel verborum ܦܶܢ פָּן instar hanc literam sequenti literae assimilant, v. g. יִדַּע (vel יִנְדַּע) = ܢܶܕܰܥ, מִדַּע = ܡܶܕܰܥ, יִתַּב = ܢܶܬܶܒ, מִתַּב = ܡܶܬܰܒ, יִבַּל et מִבַּל a יְבַל, אַנִּיחַ a יְנַח.

§. 34. De verbis syriacis mediae rad. Olaph.
(ܥܶܐ VII. Tab.)

Verba ܥܶܐ Syrorum tantum irregularitates subeunt, quae concernunt formas I. et II. earumque passivas.

1) In Peal ܐ vocalem suam (ܶ in praeterito, et ܰ in imperat. et futuro) in praecedentem literam vacuam remittit, in qua vocali ܐ quiescit, v. g. ܒܶܐܫ *bonus fuit,* ܫܶܐܠ *petiit,* ܫܰܐܠ *pete,* ܢܶܫܰܐܠ *petet,* quod et obtinet in Ethpeel, ut: ܐܶܫܬܶܐܠ, et Aphel: ܐܰܫܶܐܠ.

2) In Ethpeel saepe praeter formam consuetam ܶ invenitur sub ܬ, vel ܐ per metathesin ante primam radicalem ponitur aut plane aliud ܐ primae radicali praefigitur, unde sequentes formae oriuntur: ܐܶܬ݂ܒܶܐܫ, ܐܶܬ݂ܒܺܐܫ, ܐܶܬ݂ܐܒܶܫ, ܐܶܬ݂ܐܒܶܐܫ.

3) In Paël et Ethpaal ܐ vel manet, vel plerumque mutatur in ܝ, v. g.: ܛܰܝܶܒ *paravit* et ܐܶܬ݂ܛܰܝܰܒ aut ܐܶܬ݂ܛܰܐܰܒ.

Not. In nonnullis verbis chaldaicis א etiam mutatur in י, v. g. שַׁיֵּר *reliquit* a שְׁאַר.

§. 35. De verbis mediae rad. Vau.
(עוּ, ܥܘ. VIII. Tab.)

1) Media radicalis horum verborum in vocali *u* quiescens retinetur tantummodo in imper. et futur. Peal, cujus praeformativa exceptâ 1. personâ sunt vacua (apud juniores Paraphrastes etiam reliquarum personarum praeformativa assumunt ְ vel ֱ, v. g. מְימַת, אֱמוּת), in praeterito autem et infin. ejusdem formae Vau expungitur et per longam vocalem ָ, ܳ compensatur, ut קָם, ܩܳܡ *stetit, surrexit*; in participio activo sing. masc. litera haec mutatur in א ܐ, quae autem in flexione rursus abit in י ܝ diphthongescentem, v. g. קָאֵם, קָיְמָא, ܩܳܐܶܡ, ܩܳܝܡܳܐ. In reliquis formis Vau transit in Jud, quod aut quiescit in Ethpeel, Aphel et Ethtaphal (in Chald. nonnunquam ejicitur), aut fit mobile, uti in Paël et Ethpaal. In Ethpeel et Ethtaphal litera ת ܬ geminatur, hinc utraque forma nonnisi

e significatione erui potest, ut אִתְּקִים ܐܶܬܬܩܺܝܡ pro Ethpeel et Ethtaphal, pro qua tamen in Chaldaico et ponitur אִתְּקִים vel אִתְּקָם.

2) Praeter formam II. regularem קַיֵּם אִתְקַיַּם ܩܰܝܶܡ ܐܶܬܩܰܝܰܡ adhuc recurrunt formae reduplicatae Palpel קַמְקֵם, ܩܰܡܩܶܡ, ܩܰܘܶܡ et Poël (Pauel) קוֹמֵם cum suis passivis.

3) In forma tertia Chaldaei sub literis praeformativis vel Schwa (in partic. semper) vel Kamez admittunt, Syri vero vocalem ـِ in 1. persona sing. fut. tantum retinent. Hinc יְקִים vel יְקוּם = ܢܩܽܘܡ, ast ܐܶܩܽܘܡ. Formae hebraizantes sunt: הֲקִים vel הֵקִים, הֲקִים vel הֲקֵם, aut אוֹקִים instar verborum פֵּי.

4) Formâ Schaphel verba haec carent.

Not. a. Sunt verba hujus generis, quorum media radicalis Vau est mota ideoque qua litera firma nullas causat irregularitates, imprimis talia, quae simul sunt tertiae radicalis Aleph, ut: שְׁוָא, ܫܘܳܐ *similis fuit*, הֲוָא ܗܘܳܐ *fuit*, רְוַח *dilatatus fuit*, ܪܰܘܰܚ *dilatavit*; nonnulla horum simul Vau quiescens admittunt diversa tamen significatione, v. g. חֲוַר et ܚܘܰܪ *albuit*, חוּר et ܚܳܪ (ܚܽܘܪ) *vidit*; שְׁוַח *demersus fuit*, ܫܘܰܚ *liquefactus est*, שְׁוַח et ܫܳܚ *germinavit.*

Not. b. Verbum ܚܳܣ *pepercit* duplici utitur forma imperativi: ܚܽܘܣ in significatu *parce!* et ܚܳܣ in notione *absit! apage!* Similiter infin. Peal מְקָם sonat nonnunquam מְקוּם vel מְקוֹם.

§. 36. De Verbis mediae rad. Jud.

(עִי ܥܝ)

Haec verba in omnibus formis prima excepta classem verborum (עוּ ܥܘ) praecedentem aequant; conservant enim Jud radicale quiescens in praeterito, futuro et imperativo Peal in omnibus personis ut: מִית ܡܺܝܬ, שִׂים ܣܺܝܡ יְשִׂים ܢܣܺܝܡ, ejiciunt autem id in infinitivo (= vv. עוּ, ܥܘ), ut מְשָׂם ܡܶܣܳܡ et mutant in participio activo cum א ܐ, ut ܣܳܐܶܡ שָׂאֵם.

Not. a. Verbum ܡܺܝܬ in futuro sequitur verba ܥܘ, hinc: ܢܡܽܘܬ.

Not. b. חֲיָא (חֲיִיא) ܚܝܳܐ *vixit* 2. radicalem mobilem singulari anomalia ejicit, ubi literâ praeformativâ praecedente 1. radic. fit vacua, in quam transfertur vocalis literae ejectae: מֵחֲיָא = ܡܶܚܝܳܐ (inf.), אֵחֵי,

תֶּחֱי, ܬܶܚܶܐ (י 3. rad. orta est ex א); idem etiam, quin praeformativa accedat, nonnunquam obtinet, ut: ܚܝܝ pro ܚܝܝ *vive*. Pro י ܝ expuncto plerumque ante ܐ, radicalem litera י ܐ inseritur ut: תֵּיחֵי, ܬܐܚܐ.

PARADIGMA.

Futurum Peal.

Sing.	3. p. m.	יֶחֱי (יִחְיֵי, יִחֵי)	ܢܚܐ (ܢܐܚܐ)
	„ f.	תֶּחֱי (תֵּיחֵי)	ܬܚܐ (ܬܐܚܐ)
	2. p. m.	תֶּחֱי	ܬܚܐ (ܬܐܚܐ)
	„ f.	תֶּחֱיִן	ܬܚܝܢ (ܬܐܚܝܢ)
	1. p. c.	אֶחֱי	ܐܚܐ
Plur.	3. p. m.	יְחוֹן יִחְיוּן (יִחְיוּ)	ܢܚܘܢ (ܢܐܚܘܢ)
	„ f.	יִחְיָן	ܢܚܝܢ (ܢܐܚܝܢ)
	2. p. m.	תֵּיחוֹן (תֶּחְוֹן)	ܬܚܘܢ (ܬܐܚܘܢ)
	„ f.	תֶּחְיָן	ܬܚܝܢ (ܬܐܚܝܢ)
	1. p. c.	נֶחֱי (נִחְיֵי)	ܢܚܐ (ܢܐܚܐ)
Imperat. S.		חֲיָה	ܚܝܝ (ܚܝܝ)
Pl.		חֲיוֹ	ܚܝܘ
Part.		חַיָּא	ܚܝܐ fem. ܚܝܐ (pro ܚܝܝܐ)
Infinit.		מֶחֱא, מֶחֱא	ܡܚܐ (ܡܐܚܐ)

Aphel.

Praet.	אַחֵי	ܐܚܝ
Fut.	יְחֵי	ܢܚܐ (ܢܐܚܐ)
Part.	מְחֵי, מְחֵא, מַחֵא, מְחַיָּא	ܡܚܐ (ܡܐܚܐ)
Infin.	אַחְיָאָה, אַחָאָה	ܡܚܝܘ.

§. 37. De verbis tertiae radicalis Olaph.
(לא, ܠܐ. IX. Tab.)

Haec aramaicorum verborum classis complectitur duplicem Hebraeorum classem verborum לא et לה et triplicem Arabum classem verborum: لأ, لو, لي. In Chaldaismo biblico Hebraeorum more ast raro terminatio אָ— in הָ— transit, in

Paraphrasibus autem praeprimis junioribus in ֵי— vel ֵי— est mutata; verborum syriacorum ܐ̈ perpauca tantum existunt exempla. Horum verborum anomaliae sunt sequentes:

1) Si tertia radicalis א ܐ verbum claudit, vel א ܐ quiescit in ָ—, ܳ— aut ֵ—, ܶ— vel mutatur in י ܝ quiescens in ֵ— aut ֶ—, ܶ—, et quidem manet א ܐ quiescens in ָ—, ܳ— in praeterito Peal, ast in praeterito reliquarum formarum mutatatur in ִי— (ֵי—), ܝ—.

In futuro omnium formarum quiescit א— (vel ֵי—, ֵי—), ܐ—; in imperativo Peal in ִי— vel ָי—, ܝ—, in imperat. Ethpeel in ֵי— vel ִי— ܝ—, et reliquarum formarum in ִי— vel ָי—, ܐ—;

in infinitivo Peal in א— (ֵי—), ܐ— (ܝ—) et reliquarum formarum in ָאָה— (אָא—), ܳܐ—;

in participiis in א— vel ֵי— (ִי— in Peil), ܐ— exceptis participiis formarum Paël, Aphel et Schaphel, quae desinunt in ֵי—, ܝ—.

2) Accrescente autem in fine verbi nota afformativa, litera א ܐ a) aut mutatur in literam י ܝ α) quiescentem vel β) motam, b) aut prorsus abjicitur; et quidem:

ad a) mutatur א ܐ α) in literam י ܝ quiescentem in 1. et 2. pers. utriusque generis et numeri omnium praeteritorum, et in 3. plur. masc. formae סְנִיו ita, ut י in Peal quiescat in ִ—, in reliquis formis (et nonnunquam in Peal) in ֵ—, in Syriaco autem in ܶ— in omnibus formis excepta forma I., in qua ܝ diphthongescit in ܰܝ— (aut quiescit in ܶ— praeprimis in 1. pers.); vel mutatur β) in literam י ܝ mobilem in 2. et 3. p. plur. fem. futuri omnium formarum utriusque dialecti, et saepius in flexione participiorum; praeterea in 3. f. sing. גְּלִיַת et plur. praeteriti סְנִיאַ apud Chaldaeos, apud Syros autem in 3. sing. praeteriti omnium formarum excepta Peal, in forma ܟܬܒ̈ܝܢ 3. fem. plur. praet. omnium formarum et in 2. fem. plur. imperativorum, denique in Syrorum infinitivis

(excepto Peal), in quibus Chaldaei retinent literam א motam et rarius tantum in י mutant, ut: אִנְגְּלִיָה.

ad b) א | abjicitur

α) in praeterito et quidem in 3. fem. sing. ac 3. masc. plur. Peal (ubi ex וּ, ܘ fit וֹ, ܘ̣ܢ) utriusque dialecti et in 3. fem. plur. omnium formarum syriacarum.

β) in futuri omnium formarum utriusque dialecti persona 2. fem. sing. (ubi ex ܝܢ fit ܝܢ), in 2. et 3. masc. plur. (ubi ex וּן fit וֹן)

γ) in plur. masc. participiorum, ubi terminatio ִין, ܝܢ mutatur in ַיִן (ָן) ܝܢ.

δ) in imperativorum pers. 2. fem. sing. (ubi ִי ܝ transit in ָא, ܝ̣) et in 2. masc. plur. (ubi ex וּ, ܘ fit וֹ, ܘ̣), ac in chaldaica 2. fem. plur., quae desinit in ָן.

Adnotationes.

1) 3. plur. masc. praeteriti Peal nonnunquam terminatur in וּ pro וֹ, v. g. קְרוּ, גְּלוּ, in Syriaco cum Nun parag., ut: ܩܛܠܘܢ pro ܩܛܠܘ et fem. in ָאן (pro ָאה) ut קְרָאן. Pro וּן 3. plur. futuri plerumque occurrit וֹן, v. g. יִבְזוֹן. Infinitivi in Paraphrasibus hinc illinc adsciscunt formationen talmudicam וּיֵי, v. g. רַצּוּיֵי Ps. 89, 16. — 3. pers. plur. fem. praeteriti omnium formarum syriacarum (excepta forma Peal) a 3. p. sing. m. distinguitur tantummodo per signum Ribui.

2) Pro Paël et Ethpaal interdum in Syriaco forma Palel cum passivo suo in his verbis obvia est, v. g. ܫܲܒܠܸܠ *in captivitatem duxit.*

3) Invenitur in his verbis quamvis raro futurum apocopatum, praeprimis verbi הֲוָה vel הֲוֵי, ܗܘܐ *fuit* et quidem:

PARADIGMA.

Futurum apocopatum.

Sing.	3. p. m.	יְהֵי (יְהֵא)	ܢܶܗܶܐ (ܢܶܗܐ et ܢܶܗܘܶܐ)
	„ f.	תְּהֵי (תְּהֵא)	ܬܶܗܶܐ (ܬܶܗܘܶܐ)
	2. p. m.	תְּהֵי (תְּהֵא, תְּהֱוֵי)	ܬܶܗܶܐ
	„ f.	תְּהִין (תְּהֱוִין)	ܬܶܗܶܝܢ (ܬܶܗܘܶܝܢ)
	1. p. c.	אֱהֵי (אֱהֱוֵי)	ܐܶܗܶܐ (ܐܶܗܘܶܐ)

Plur.	3. p. m.	יֶהֱוֹן (נֶהֱוֹן, יֶהֱווֹן)	ܢܶܗܘܽܘܢ
	„ f.	יֶהֶוְיָן (יֶהֶוְיָן)	ܢܶܗܘܝܳܢ
	2. p. m.	תֶּהֱוֹן (תֶּהֱווֹן)	ܬܶܗܘܽܘܢ
	„ f.	תֶּהֶוְיָן (תֶּהֶוְיָן)	ܬܶܗܘܝܳܢ
	1. p. c.	נֶהֱוֵי	ܢܶܗܘܶܐ

Imp. הֲוֵי Part. ܗܳܘܶܐ

Infinit. מֶהֱוָא (מֵיהֱוֵי, מֵהֱוֵי)

4) Verba, quorum 3. radicalis est ה mobile, uti גְּבַהּ, תְּוַהּ, תְּמַהּ in flexione anomaliae non sunt subjecta, hinc: יִתְוַהּ, תְּוַהוּ etc.

§. 38. C. De verbis dupliciter imperfectis.

Verba dupliciter imperfecta sunt ea, quibus duae radicales insunt, quae anomalias causare solent. Quamvis plura hujus generis verba unius tantum literae anomaliam admittunt, tamen alia in utraque mutationibus sunt obnoxia; sunt vero:

1) Verba פָּן, ܦܢ et לָא, ܢܐ simul, v. g. נְדָא *aspersit*, ܢܣܳܐ *probavit*; in Aphel: יַדִּי אַדִּי, ܐܰܣܺܝ, ܐܰܣܳܐ (imp.) — e contra נְסָא a אַנְסִי.

2) Verba פָּא, ܦܐ et לָא, ܢܐ ut: אֲתָא ܐܶܬܳܐ *venit* fut.: יֵיתֵי ܢܺܐܬܶܐ, imp. אֱתוֹ vel תִּיו, ܬܳܐ et ܬܳܝ (fem.); inf. מֵתֵי ܡܶܐܬܳܐ. Aphel אַיְתֵי ܐܰܝܬܺܝ; similiter אֲבָא *voluit*, אֲסָא ܐܶܣܳܐ *sanavit*, אֲפָא ܐܶܦܳܐ *coxit.*

3) Verba פִּי, ܦܝ et לָא, ܢܐ, ut: יְדָא ܝܕܳܐ (inus.) in Aphel אוֹדִי = ܐܰܘܕܺܝ *confessus est*, part. מוֹדֵי = ܡܰܘܕܶܐ; יְמָא ܝܡܳܐ *juravit*: fut. יֵימֵי ܢܺܐܡܶܐ, inf. ܡܶܐܡܳܐ, Aphel: אוֹמֵי ܐܰܘܡܺܝ, et ܝܥܳܐ *germinavit*: Aph. ܐܰܘܥܺܝ et ܐܰܥܺܝ.

4) Verba syriaca ܥܐ et ܢܐ vel ܥܝ flectuntur sicut verba ܢܐ, v. g. ܠܐܶܐ ܠܐܺܝ (heb. לָאָה) *laboravit*, ܠܐܶܝܬ, ܠܐܺܝܬ, ܠܐܺܝܬܝ, ܠܐܺܝܬ, plur. ܠܐܺܝܘ, inf. ܡܶܠܐܳܐ imp. ܠܐܺܝ, ܠܐܳܝ; fut. ܢܶܠܐܶܐ, part. act. ܠܳܐܶܐ, pass. ܠܐܶܐ. Aph. ܐܰܠܐܺܝ et ܐܰܠܺܝ, fut. ܢܰܠܐܶܐ, part. ܡܰܠܐܶܐ; similiter ܟܳܐܶܐ *objurgavit* pl. Peal ܟܳܐܘ, imp. ܟܐܺܝ, inf. ܡܶܟܳܐܳܐ.

§. 39. De Verbis defectivis.

Verba defectiva sunt ea, quorum formae, modi et tempora singula non sunt in usu; hinc ea aut plane carent certis formis aut eas e verbis synonymis supplent; sunt sequentia:

1) יְהַב ܝܗܒ *dedit* in Peal format tantum praeteritum, imperativum et participium, ac Ethpeel, futurum autem et infinitivum repetit a verbo נְתַן, ܢܬܠ.

2) סְלֵק *ascendit* in praet. Peal, in Paël, Ethpeel et Ethpaal usurpatur, ܣܠܩ nonnisi in praet. et part. act. Peal in usu est; reliqua sumit a ܢܣܩ; נְסַק *ascendit* nonnisi in infinit. et imperat. Peal et in Aphel occurrit.

3) שְׁתָא *bibit* in Peal, אַשְׁקָא *bibit* in Aphel, הֲלַךְ *ivit* in Paël et הוּךְ *ambulavit* in futuro et infinit. Peal usu venit.

4) Impersonalia sunt: part. Peal a) ܙܳܕܶܩ *decet* (a ܙܕܩ *justus fuit*); b) ܡܰܚܶܠ *taedet*, in 3. sing. fem. praet. ܡܚܠܬ, in part. act. fem. ܡܚܠܳܐ et in 3. sing. f. fut. ܬܶܡܚܰܠ; c) part. act. ܘܳܠܶܐ et ܦܳܐܶܐ *decet* a ܘܠܐ et ܦܐܐ.

§. 40. De verbis imperfectis cum suffixis.

Plurima verba imperfecta in suffixis annectendis sequuntur analogiam verborum perfectorum (§. 28.); singulari vero prorsus modo Aramaei verbis לא, ܠܐ suffixa solent annectere.

A. Apud Chaldaeos.

1) א י quiescens in fine in praet. Peal raro cum vocali sua retinetur, ut: בְּרָאַנִי, plerumque abjicitur, ut: תְּלָנוּן.

Terminatio 3. plur. masc. praet. Peal et imperativorum ו mutatur in ו et יו in ִיו, v. g. רְמוֹנִי Jon. 1, 12, אַבְעֲיוּהִי Jes. 1, 8.

Terminationes praeteritorum in ִית et ֵית immutatae manent, ut: רַבִּיתָךְ, חֲוֵיתֵיהּ.

2) י quiescens in futuro una cum vocali abjicitur et Nun epentheticum assumitur, v. g. יְחַוְּנֵהּ, מַנִּנּוּן Jos. 9, 27; raro י qua mobile apparet, ut: רַבְּיֵהּ, אַחֲוְיָךְ.

3) י quiescens in imperativo omnium formarum retinetur, hinc: רְמִיתִי, e contra קְרָהָא Jerem. 36, 15.

4) Infinitivus Peal aut assumit suffixa nominis, v. g. מֶחֱוְיֵהּ aut tertiam radicalem amittit, ut: מֶחֱוָךְ; infinitivi reliquarum formarum desinunt in ות, v. g. קַשְׁיוּתֵהּ Gen. 35, 17.

B. Apud Syros.

1) ܐ terminationis ـܳܐ aut abjicitur (in 3. sing. m. praet. Peal et 2. sing. m. imperativorum Paël, Aphel et Schaphel in nexu cum suffixis sub b) aut transit in Jud mobile (in infinitivo Peal), ante ܟܽܘܢ et ܟܶܝܢ abjecto ܐ manet ـܶ, v. g. ܢܶܥܢܶܝܟܽܘܢ. Terminatio futuri ـܶܐ transit in ـܶܝ et annectuntur suffixa b).

2) In personis in ـܺܝ desinentibus, vel vocali ـܺ abjecta ܝ tanquam mobile pronuntiatur cum suffixis sub a (in 3. sing. m. praet. Paël et Aphel et nonnunquam et Peal), v. g. ܐܰܣܝܶܗ, vel ـܺܝ manet et conjungitur cum suffixis sub b) (in 2. sing. masc. imp. Peal et in priori casu ante ܟܽܘܢ et ܟܶܝܢ), ut: ܚܙܺܝܗ̱ܝ, ܚܙܺܝܟܽܘܢ. Flexiones imperativorum fem. ـܰܝ et ـܰܝܶܝܢ (vel ـܺܝܶܝܢ) abeunt in ـܰܝܢ vel ـܰܝ̈ܢ cum suffixis b) et ـܰܝܗ cum suffixis d).

3) In personis, quae in ܘ otiosum terminantur, assumunt ـܳܐܘ (et ـܳܘܗ) pro ـܰܘ, et ـܳܘܢ pro ـܺܘܢ (in 3. plur. m. praet. omnium formarum et in 2. plur. masc. omnium imperativorum), v. g. ܪܡܳܐܘܗ̱ܝ et ܚܙܰܘܢܳܢܝ.

Not. ܒܰܝܺܐ *consolatus est* et verba huic similia suffixis accedentibus tertiam rad. ܐ nunquam abjiciunt, remittunt autem ejusdem vocalem in secundam radicalem, quando haec est vacua, v. g. ܒܰܝܐܰܢ, ܒܰܝܐܶܗ, plur. ܒܰܝܐܽܘܢ, imp. ܒܰܝܐܳܢܝ etc.

§. 41. De verbo substantivo.

1) Verbum substantivum *esse* in lingua aramaea duplici modo exprimi potest: a) per verbum הֲוָה (הֲוָא, הֲוֵי), ܗܘܳܐ et b) per nomen אית ܐܝܬ (heb. יֵשׁ *existentia*), quod cum suffixis

nominum pluralium (§. 15. 2. B. b.) junctum flexiones subit et tempus praesens exprimit:

	Sing.			Plur.		
3. m.	אִיתוֹהִי / אִיתְנָהוּ	ܐܺܝܬܰܘܗܝ	*est*	אִיתֵיהוֹן	ܐܺܝܬܰܝܗܘܿܢ	*sunt*
3. f.	אִיתוֹהָא	ܐܺܝܬܶܝܗ		אִיתֵיהֶן	ܐܺܝܬܰܝܗܶܝܢ	
2. m.	אִיתָךְ	ܐܺܝܬܰܝܟ	*es*	אִיתֵיכוֹן	ܐܺܝܬܰܝܟܘܿܢ	*estis*
2. f.	אִיתָיִכְי	ܐܺܝܬܶܝܟܝ		אִיתֵיכֶן	ܐܺܝܬܰܝܟܶܝܢ	
1. c.	אִיתַי	ܐܺܝܬܰܝ	*sum*	אִיתָנָא	ܐܺܝܬܰܝܢ	*sumus.*

2) E conjunctione אִית et ܐܺܝܬ cum particula negativa לָא, ܠܳܐ enascitur verbum negativum לֵית (לָאִית, לֵית), ܠܰܝܬ *non est*, quod aeque ac positivum verbum cum suffixis nominum pluralium (raro in Chaldaico singularium) componitur.

3) E copulatione utriusque verbi substantivi syriaci enascitur imperfectum; hinc ܗ݇ܘܳܐ ܐܺܝܬ vel ܗ݇ܘܳܐ ܐܺܝܬܰܘܗܝ *erat*, quod etiam per ܗ݇ܘܳܐ ܗ݇ܘܳܐ exprimi potest. Reduplicato verbo ܗ݇ܘܳܐ designatur plusquamperfectum: ܗ݇ܘܺܝܬ ܗ݇ܘܺܝܬ *fueram.*

4) Verbum הֲוָא ܗ݇ܘܳܐ, quod verborum לֹא ܠܳܐ (§. 37. Adn. 3.) instar flectitur, etiam cum aliis verbis componitur ad diversa eorum tempora circumscribenda et quidem cum participio alicujus verbi conjunctum ejusdem imperfectum, ut: חָזֵה הֲוָא *videbat*, ܐܳܡܪܺܝܢ ܗ݇ܘܰܘ *dicebant*, cum praeterito autem alterius verbi nexum ejusdem plusquamperfectum notat, v. g. ܐܶܬܳܐ ܗ݇ܘܳܐ *venerat.*

Not. a. Cum Aoristo II. alterius verbi nexum nonnunquam conjunctivum, optativum vel imperativum exprimit.

Not. b. ܗ݇ܘܳܐ in junctura cum aliis verbis recipit sub ܗ lineam occultantem (cf. §. 4. 4. d. β.).

III. CAPUT.

De Nomine.

§. 42. De nomine generatim.

Nomina linguae aramaeae sunt aut primitiva aut derivata. Primitiva nomina sunt ea, quae primas easque simplices hominum notiones, res ad vitam et societatem necessarias spectant, ut: אָב, ܐܒ *pater*, בַּר, ܒܪ *filius*, יַד, ܐܝܕ *manus*, יוֹם, ܝܘܡܐ *dies* etc., major tamen nominum pars derivatur aut de verbis = deverbalia, aut de aliis nominibus = denominativa. Cum infinitivus et participium linguarum semiticarum nominibus aeque ac verbis sese appropinquant, multa nomina derivata duplicem hanc formam respiciunt, ita ut ab infinitivis nomina abstracta, a participiis nomina concreta deriventur de verbo tum regulari tum irregulari.

§. 43. De nominibus derivatis verbi regularis.

Derivatio seu deductio haec vario institui potest modo:

A. Sola vocalium mutatione i. e. interna; sic 1) ex (inf. Peal) formis קְטַל קְטֵל קוֹטֶל קְטוֹל, ܩܛܠ ܩܛܠ ܩܘܛܠ (et in stat. emph. ܩܛܠܐ, ܩܛܠܐ, ܩܘܛܠܐ) derivantur abstracta (segolatis Hebraeorum respondentia), ut: סְפַר *liber*, תְּקוֹף *fortitudo*, ܩܒܪܐ *sepulcrum*, ܩܘܕܫܐ *sanctitas*, raro concreta ut: מְלֵךְ ܡܠܟ *rex*; 2) e קְטָל, ܩܛܠ vel ܩܛܠܐ abstracta ut: כְּתָב ܟܬܒܐ *scriptum*; 3) a participio Peal קָטֵל ܩܛܠ derivantur aut concreta, ut: כָּהֵן, ܟܗܢ *sacerdos*, aut adjectiva, ut: סָכֵל *stultus*, ܟܦܢܐ *esuriens*; 4) de participio Peil קְטִיל, קְטֵיל, קְטוּל, קָטוֹל et ܩܛܝܠ, ܩܛܝܠ, ܩܛܘܠ, ܩܛܘܠ deducuntur tum concreta, ut: מְשִׁיחַ, ܡܫܝܚܐ *Christus*, tum adjectiva, ut: דְּחִיל ܕܚܝܠ *terribilis*, ܓܡܘܪܐ *perfector*, תַּקִּיף *validus*, tum abstracta, ut: לְבוּשׁ *vestis*; 5) de קֻטָּל, קִיטֵּל, קוֹטָל, ܩܘܛܠ praeprimis adjectiva inhaerentes pro-

prietates designantia, ut: סוּמָק *ruber*, aut abstracta, ut: אֵיבַד *interitus*, ܡܕܥܐ *intellectus*.

B. Aut reduplicatione unius vel plurium consonantium radicalium, quae intensionem seu extensionem conceptus indicat (in Chaldaico)et quidem:

1) de קְטַל, ut: פָּרָשׁ *eques*, טַבָּח *coquus*,

2) de קְטַל et קְטֵל, ut: לִשָּׁן *lingua*, אִלֵּם *mutus*,

3) de קְטוֹל et קְטִיל, ut: חַמּוּד *desiderium*, תַּקִּיף *potens*,

4) nec non de formis reduplicatis, ut: סְגַלְגַּל *rotundus*, עַלְעוֹל *turbo*.

E contra in Syriaco derivatio nominum de verbis fit nonnunquam una alterave radicalium elisa, ut: ܫܢܬܐ *somnus* a ܝܫܢ *dormivit*, ܨܦܬܐ *sollicitudo* a ܝܨܦ *sollicitus fuit*.

Etiam de formis rarioribus deducuntur nomina et quidem tum de infinitivis, ut: ܙܗܪܝܪܐ *splendor* (Palel), ܬܘܠܥܐ *vermis* (Pauel), ܬܘܠܡܕܐ *doctrina* (Taphel), tum de participiis, ut: ܡܥܩܠܠܐ *tortile* (Palel), ܬܪܓܡܢܐ *interpres* (Taphel) etc.

et C. additis literis servilibus ab initio aut fine vocis, imo integris syllabis adjectis (*formatio externa*), et quidem ab initio vocis accedunt literae א, מ, ת, raro ה, י, שׁ in Chaldaico, ܐ, ܡ, ܢ, ܬ, ܫ in Syriaco (vel ܘ et ܝ in medio), in fine vero ן, ם, א et ת ac ܐ, ܝ, ܬ. Accedente Mim cum vocali *a* formantur plerumque substantiva locum actionis, quam verbum notat, indicantia, ut: מַדְבַּח *altare* a דְּבַח *sacrificavit*, מַדְנַח *oriens* a דְּנַח *ortus est* = ܡܕܢܚ *Oriens* a ܕܢܚ, ܡܕܡܟܐ *dormitorium* a ܕܡܟ *dormivit*; cum vocali *i* autem substantiva, quae instrumentum vel vas quoddam notant, ut: מִזְרַק *phiala* a זְרַק *sparsit*, ܡܪܩܐ *novacula* a ܪܩ *purgavit*.

Ad participium Paël et Aphel accedunt: מְשַׁמֵּשׁ *servus*, מַלְשִׁן *delator*, ܡܠܦܢܐ *magister*, ܡܘܕܝܢܐ *confessor*; ad reliquas formationes: אַחְסָנָא *possessio*, נַחְשׁוֹל *procella*, שַׁעְבּוּד *servitus*, תַּפְקִידָא *praeceptum*, תּוּשְׁבְּחָא *laus*, ܫܠܗܒܝܬܐ *flamma*, ܬܠܡܝܕܐ *disciplulus*, ܝܥܠܬܐ *caprea*; tandem Nun in fine: נִצְחָן *victoria*, פּוּלְחָן *servitium*, ܐܘܠܨܢܐ *afflictio*, ܡܦܪܫܢܐ *judex*.

Derivata de passivis sunt: הִתְבַּהֲלָה *festinatio*, אִתְכַּנְעוּת *humiliatio*, ܡܬܡܠܠܢܐ *facundus*, ܡܬܚܝܒܢܐ *reus*.

§. 44. De nominibus derivatis verbi irregularis.

1) De verbis פּן, ܦܢ praeprimis in forma Aphel deducuntur nomina ut: מַסֹּר *serra*, מַצָּב *plantatio*, מַטְּרָא *custodia*, מַפְּקָן *exitus*, ܡܣܘܪܐ *serra*, ܡܦܘܠܬܐ *ruina*, ܡܣܩܢܐ *ascensus*, ܡܦܩܢܐ *exitus*.

2) De verbis עע, ܥܥ: חֵן *gratia*, חֹם *calor*, מִלָּא *verbum*, גַּלְגַּל *rota*, מַעֲלָן *introitus*, ܚܘܒܐ *amor*, ܒܙܬܐ *praeda*, ܡܠܠܐ *verbum*, ܓܝܓܠܐ *rota*, ܙܓܐ *tintinnabulum*, ܡܚܒܠܢܐ *noxius*.

3) De verbis פּא, ܦܐ: מֵיכַל *cibus*, מֵימַר *verbum*, ܡܐܟܘܠܬܐ *cibus*, ܡܐܡܪܐ *verbum*, ܬܢܚܬܐ *gemitus*.

4) De verbis פּי, ܦܝ: דַּעַת *scientia*, יַקִּיר *pretiosus*, מֵילַד *nativitas*, מוֹתַב *habitaculum*, תּוֹתַב *incola*, מוֹהַב *donum*, ܡܕܥܐ *intellectus*, ܝܕܥܬܐ *scientia*, ܡܘܠܕܬܐ *partus*, ܡܘܬܒ *sedes*, ܡܘܒܠܐ *onus*, ܫܘܬܦܐ *socius*.

5) De verbis עו (עי), ܥܘ (ܥܝ): קָמָא *statua*, חוֹב *culpa*, סֵיף *finis*, דַּיָּן *judex*, צִיּוּר *imago*, גִּיּוּר *peregrinus*, מְקָם *status*, מְזוֹן *cibus*, הֲנָפָא *motio*, ܨܘܪܬܐ *imago*, ܡܘܬܐ *mors*, ܥܩܬܐ *angustia*, ܕܝܢܐ *judex*, ܙܘܥܐ *motus*, ܡܪܘܡ *altus*, ܠܝܛܐ *maledictus*.

6) De verbis ܕܐ: ܬܟܫܦܬܐ *precatio*, ܡܟܐܢܐ *molestia*, ܒܝܫܘ *malitia*, ܟܐܒܐ *dolor*, ܫܐܝܠܐ et ܫܝܠܐ *mutuus*.

7) De verbis לא, ܠܐ (ܠܝ): דְּכֵי *purus*, גָּלוּת *captivitas*, חֶדְוָא *laetitia*, מִנְיָן *numerus*, טַעֲוָא *idolum*, עֲלִי *superior*, מַרְדּוּ *eruditio*, ܢܝܚܐ *quies*, ܒܪܝܬܐ *creatio*, ܨܠܘܬܐ *oratio*, ܚܙܘܐ *visus*, ܩܥܬܐ *clamor*, ܩܢܝܢܬܐ *possessio*, ܫܒܝܬܐ *exilium*, ܡܠܐ *plenus*, ܒܢܝܢܐ *aedificium*, ܗܡܝܢܐ *cingulum*.

§. 45. De nominibus denominativis.

Huc pertinent: 1) nomina **nuda**, quae ab aliis nominibus, quin aliquid augmenti accrescat, derivantur, ut: סַפָּן

nauta a סְפִינָא *navis*, קַשָּׁת *sagittarius* a קֶשֶׁת *arcus*, ܓܢܢܐ *hortulanus* a ܓܢܬܐ *hortus*.

2) Nomina aucta per terminationem ־ִי, ־ָי, vel ־ָן, ܢܐ (masc.) et ־ָאָה, ־ִית, ܝܬܐ (femin.), qua praeprimis adjectiva gentilicia et patronymica finguntur, ut: נָכְרִי *peregrinus*, מִצְרִי *Aegyptius*, צֹרִי *Tyrius*, מִדְנְחִי *orientalis*, ܪܗܘܡܝܐ *Romanus*, ܡܨܪܝܐ *Aegyptius*, ܒܪܒܪܝܐ *barbarus*, ܛܘܪܢܐ *montanus*, porro בּוּסְרָן *contemtus*, אָבְדָן *pernicies*.

3) Feminina abstracta, quae desinunt in וּת et ־ִית, ܘܬܐ et ܝܬܐ, v. g. טָבוּת *bonitas* (a טָב *bonus*), מַלְכוּת *regnum* (a מֶלֶךְ *rex*), עֲלֵמוּת *juventus* (ab עוּלִים *juvenis*), שָׁרְשִׁית *eradicatio* (a שֹׁרֶשׁ *radix*), ܪܫܝܬܐ *initium* (a ܪܝܫ *caput*), ܛܠܝܘܬܐ *juventus* (a ܛܠܝܐ *juvenis*), ܛܢܦܘܬܐ *immunditia* (a ܛܢܦܐ *immundus*).

4) Diminutiva syriaca, quae deducuntur ab aliis nominibus terminatione ܘܢ aut ܘܣ adhibita vel ܘ inserto ut: ܒܪܘܢܐ *filiolus*, ܐܚܘܢܐ *fraterculus*, ܟܠܒܘܢܐ a ܟܠܒܐ *canis*, ܐܡܪܘܢܐ *agnellus*, ܒܪܘܢܘܢܐ *filiolus parvulus*, ܐܚܘܢܘܢܐ *fraterculus parvulus*.

§. 46. De nominibus exoticis et compositis.

1) Nomina, quae Aramaei ex aliis linguis praeprimis latina et graeca adoptarunt, aut formam suam immutatam retinebant, ut: זוֹנָא ζώνη, בָּסִים βάσις, קִיטוֹן κοιτών, דּוֹרוֹן δῶρον, ܐܓܝܐ ἁγία, ܐܘܢܓܠܝܘܢ εὐαγγέλιον, ܓܐܘܡܛܪܝܐ γεωμετρία, ܡܐܠܠܘܢ μᾶλλον, ܟܠܡܘܣ χλάμυς, aut terminationem aramaicam recipiebant, ut: סוּדָרָא *sudarium*, מַרְגָּלִיתָא μαργαρίτης, ܦܠܓܐ φάλαγγες, ܕܘܓܡܐ δόγματα, ܐܣܛܪܛܝܘܛܐ στρατιώτης.

Not. a. De quibusdam proprietatibus nominum exoticorum vid. §. 3. Adn. 4. et 5. §. 4. 4. d. β. §. 8. D. 1.

Not. b. Inter nomina, quae expeditionum cruciatarum tempore e linguis occidentalibus in syriacam sunt translata, pertinent: ܦܪܢܓܝܐ *Franci*, ܐܠܡܢܝܐ *Allemagne*, ܐܢܓܠܛܪܐ *Angleterre*, ܗܢܪܝ *Henri*, ܦܪܢܨ *Prince*.

2) Occurrunt quoque nomina composita, quae Syri, non vero Chaldaei scribendo quoque conjungunt, ut: בְּעֵל דְּבָבָא, ܒܥܠܕܒܒܐ *inimicus*, ܒܪܢܫܐ *filius hominis* seu *homo*; compositorum abstracta fiunt jam utroque nomine, jam solo posteriore femininam terminationem adsciscente, v. g. ܪܒ ܒܝܬܘܬܐ *oeconomia*, ܒܥܠܕܒܒܘܬܐ *inimicitia*.

Not. Non raro graecis compositis respondent duo vocabula syriaca juxta posita, ut: ܣܓܝ ܝܩܝܪ̈ܐ πολύτιμος, ܠܐ ܡܬܛܟܣܢܘܬܐ ἀταξία, ܚܠܦ ܫܡܐ *pronomen*.

§. 47. De nominum Genere.

Genus nominum aramaicorum duplex est: masculinum et femininum; nomina feminina a masculinis, quorum nulla est peculiaris ac propria terminatio, tum 1) significatione tum 2) terminatione discernuntur.

1) Significatione masculini generis sunt nomina virorum sive propria sive appellativa officiique virilis, montium, fluviorum, populorum et mensium; feminina vero sunt nomina mulierum ac muliebris officii, porro (ex idea Orientalium propria seu usu methaphorico) urbium, regionum, insularum et membrorum, quae hominis et animalium corpori gemina sunt.

2) Terminatione feminini generis sunt nomina, quae desinunt in ־ָא (־ָה) ܬܐ, ־ִי ܝ, ܘ ܘ (quibus abscissa est in fine litera ת ܬ pro ־ִית, ות ܝܬܐ, ܘܬܐ); v. g. חָכְמָא ܚܟܡܬܐ *sapientia*, נְוָלִי *coenum*, ܒܪܝܬ *res creata*, מַלְכוּ ܡܠܟܘ *regnum*; rarissima est terminatio ות ܬܐ, v. g. רִבּוֹ (pro רִבּוֹת) *myrias*, ܡܢܬ *pars*. Cavendum tamen est, ne status emphaticus sing. masc. cum statu absoluto femin. ־ָא ܐ confundatur, quia uterque status eandem habet terminationem et eo magis, cum permulta nomina mascul. in statu absoluto obsoleverint.

Not. Terminatio chaldaica ־ָה occurrit praeprimis in adjectivis et participiis, dein in femininis, quae a masculinis in ־ִי desinentibus derivantur, ut: קַדְמָאָה a קַדְמָי *primus* et in paucis substan-

tivis, quorum 2. radicalis est א, v. g. מְאָה, פְּאָה, terminatio ־ִית propria est generi feminino adjectivorum (patronymicorum), quae descendunt a masculinis in ־ִי, v. g. תַּלְתִּית, אֲרָמִית.

3) Dantur autem a) nomina, quae sine terminatione feminina sunt generis feminini et usu dicenda, ut: אֶבֶן *lapis*, אֹרַח *semita*, אֲרַע *terra*, אוּדֶן *auris*, חֶרֶב *gladius*; syriaca vero saepissime in statu emphatico tantum occurrunt, ut: ܐܘܪܚܐ *semita*, ܐܠܦܐ *navis*, ܐܪܥܐ *terra*, ܒܐܪܐ *puteus*, ܨܦܪܐ *volucris*, ܝܘܢܐ *columba*, ܟܐܦܐ *lapis*, ܢܦܫܐ *anima*, ܪܘܚܐ *ventus*, ܫܢܐ *dens*, ܥܢܐ *grex*, ܠܫܢܐ *lingua*, ܢܘܪܐ *ignis*, ܫܝܘܠ *infernus*, ܬܐܒܝܠ *orbis* etc. b) Generis communis sunt: אַת *signum*, אֶשָּׁא *ignis*, גּוּפְנָא *vitis*, ܕܝܪܐ *monasterium*, ܫܡܫܐ *sol*, ܓܡܠܐ *camelus*, nec non Numeralia a 20 usque ad 100. c) Rursus quaedam nomina formam femininorum habent, sunt autem masculina praeprimis in Syriaco, v. g. ܒܝܬܐ *domus*, ܡܘܬܐ *mors*, ܩܘܫܬܐ *veritas*, ܩܫܬܐ *arcus*, ܫܘܒܚܐ *decus*, ܬܟܣܐ *vestimentum* et alia.

d) Nomina exotica sunt illius fere generis, quo utuntur in illa lingua, unde proficiscuntur, hinc v. g. femin. sunt graeca: ܐܣܦܝܣ ἡ ἀσπίς, ܛܝܡܐ ἡ τιμή, ܣܘܢܗܕܘܣ ἡ σύνοδος, ܗܘܠܐ ἡ ὕλη; inveniuntur autem plura quoque exempla mutati generis, ut feminina: ܐܣܦܘܓܐ ὁ σπόγγος, ܐܣܛܝܪܐ ὁ στατήρ. Quae neutrius generis sunt, casu genus quasi sortiuntur, v. g. fem. sunt: ܘܠܐ *velum*, ܬܐܛܪܘܢ τὸ θέατρον, masc. vero ܐܘܪܓܢܘܢ τὸ ὄργανον, ܕܘܓܡܐ τὸ δόγμα.

§. 48. De nominum Numero.

1) Aramaei numero duplici: Singulari et Plurali utuntur. Masculina in plurali adsciscunt ־ִין, ܝ̈ܢ, femininorum vero terminatio ־ָא, ܬܐ mutatur in ־ָן, ܢ̈, ܘ, ܬܐ et ܐ ܐ in ־ָן, ܢ, ־ִי, ܝ̈ in ־ָן, ܢ̈ (litera ergo quiescente in mobilem mutata), v. g. יַמִּין ܝܡ̈ܡܐ a יַם ܝܡܐ *mare*, מְדִינָן ܡܕܝܢ̈ܢ a מְדִינָא *provincia*, ܡܕܝܢܬܐ *urbs*, מַלְכְּוָן ܡܠܟܘ̈ܢ a מַלְכוּ ܡܠܟܘܬܐ *regnum*, נְוָלִין a נְוָלִי *coenum*, ܒܪ̈ܝܢ a ܒܪܝܐ *res creata*.

Not. Nomina mascul. derivata a verbis לא, ܥ terminantur in ־ֵין, ـܝܢ, v. g. גָּלֵין ܓܠܝܢ a גְּלָא, ܓܠܐ; feminin. chaldaica in ־ָאָה recipiunt in plur. terminationem ־ָן, v. g. קַדְמָן a קַדְמָאָה. In Paraphrasibus nonnunquam Nun finale abjicitur, ita ut pluralis desinat in ־ֵי, v. g. אֲסִירֵי pro אֲסִירִין.

2. **Dualis** nominum, qui in Chaldaismo biblico tantum occurrit, adsciscit terminationem ־ַיִן, ־ָן vel ־ֵין, ut: קַרְנַיִן a קֶרֶן *cornu*, תְּרֵין *duo*, מָאתָן vel מָאתַיִן *ducenti*; in Targumim (imo et in Syriaco) geminatum per pluralem vel cum vel sine numerali תְּרֵין, ܬܪܝܢ exprimitur, v. g. שִׁנַּיִן *dentes*, תְּרֵין יוֹמִין *biduum* Exod. 16, 29. תַּרְתֵּין בְּנָן Gen. 19, 8. ܬܪܝܢ ܬܘܪ̈ܝܢ Ephr. carm. V. Syrorum Dualis in ـܝܢ in quatuor tantum vocibus obvius est iisque: ܬܪܝܢ *duo*, ܬܪܬܝܢ *duae*, ܡܐܬܝܢ *ducenti*, ܡܨܪܝܢ *Aegyptus*.

Adnotationes.

Nomina Aramaeorum in plurali multas admittunt irregularitates, quae ad Lexica spectant, non pauca enim nomina in plur. alius generis terminationem adsciscunt, quam in singulari et quidem:

1) **Masculina** in plur. terminationem recipiunt femininam:

a) **Chaldaeorum**: אֲבָהָן ab אָב *pater*, שְׁמָהָן a שֻׁם *nomen*, אַרְיָוָן ab אַרְיֵא *leo*, כָּרְסָוָן a כָּרְסֵא *thronus* etc.

b) **Syrorum**: ܐܪ̈ܘܬܐ ab ܐܪܝܐ *leo*, ܐܬܪ̈ܘܬܐ ab ܐܬܪ *locus*, ܟܘܪ̈ܣܘܬܐ a ܟܘܪܣܝܐ *solium*, ܐܣ̈ܘܬܐ ab ܐܣܝܐ *medicus*, ܪ̈ܥܘܬܐ (in part. ܪ̈ܥܝܢ) a ܪܥܝܐ *pastor*.

2) **Feminina** quaedam pluralem masculinorum habent et quidem:

a) **Chaldaeorum**: אַמִּין ab אַמָּא *ulna*, חִטִּין a חִטָּא *triticum*, מִלִּין a מִלָּא *verbum*, שְׁנִין a שְׁנָא *annus*, תִּפְלִין a תִּפְלָא *insulsum*, יוֹנִין a יוֹנָא *columba* etc.

b) **Syrorum**: ܐܡ̈ܝܢ ab ܐܡܬܐ *ulna*, ܫ̈ܢܝܢ a ܫܢܬܐ *annus*, ܫ̈ܥܝܢ a ܫܥܬܐ *hora*, ܓ̈ܢܐ a ܓܢܬܐ *hortus*, ܚ̈ܛܐ a ܚܛܬܐ *triticum*, ܡ̈ܠܐ

a ܡܠܬܐ *verbum*, ܡܥܪ̈ܐ a ܡܥܪܬܐ *spelunca*, ܣܦܝܢ̈ܐ a ܣܦܝܢܬܐ *navis*, ܒܙ̈ܬܐ a ܒܙܬܐ *praeda*, ܨܦ̈ܬܐ a ܨܦܬܐ *cura*, ܩܠ̈ܬܐ a ܩܠܬܐ *clamor* etc.

3) Sunt nomina, quae duplicem pluralem (a duplici sing. obsoleto) admittunt nonnunquam diverso significatu, et quidem:

a) Chaldaeorum: אִמִּין et אִמְּהָן ab אֵם *mater*, אָתִין et אָתְוָן ab אָת *signum*, יוֹמִין et יוֹמָן ab יוֹם *dies*, נַפְשִׁין et נַפְשָׁן a נְפַשׁ *anima*, נַהֲרִין et נַהֲרְוָן a נְהַר *fluvius*, קָלִין *tonitrua* et קָלָן *voces* a קָל *vox*.

b) Syrorum: ܐܒܗ̈ܝܢ *patres naturales* et ܐܒܗ̈ܬܐ *patres spirituales* vel *majores* ab ܐܒ, ܐܝ̈ܕܝܢ *manus* et ܐܝ̈ܕܘܬܐ *axes* a ܐܝܕ *manus*, ܚܝ̈ܠܘܢ et ܚܝ̈ܠܘܬܐ a ܚܝܠ *exercitus*, ܝܘܡ̈ܝܢ et ܝܘܡ̈ܬܐ a ܝܘܡ *dies*, ܠܒ̈ܒܢ et ܠܒ̈ܒܬܐ a ܠܒܐ *cor*, ܢܗܪ̈ܝܢ et ܢܗܪ̈ܘܬܐ a ܢܗܪ *fluvius*, ܥܝ̈ܢܝܢ *oculi* et ܥܝ̈ܢܢ *fontes* ab ܥܝܢܐ *oculus*, ܩܪ̈ܢܝܢ *cornua* et ܩܪ̈ܢܬܐ *anguli* a ܩܪܢܐ *cornu*, ܫܡ̈ܗܝܢ et ܫܡ̈ܗܬܐ a ܫܡ *nomen*.

Not. Ab obsoleto singulari formantur nonnulla pluralia, uti: בְּנִין a בַּר *filius*, בְּנָן a בְּרַתָּא *filia*, אַמְהָן ab אַמְתָּא *ancilla*, ܒܢ̈ܝܢ a ܒܪ *filius*, ܒܢ̈ܢ a ܒܪܬܐ *filia*, ܐܚ̈ܘܢ a ܚܬܐ *soror*, ܐܡ̈ܘܢ ab ܐܘܡܬܐ *populus*, ܕܘܟ̈ܝܢ a ܕܘܟܬܐ *locus* etc.

4) Nonnulla nomina aramaica in solo plurali (pluralia tantum) occurrunt, et quidem: שְׁמַיָּא ܫܡܝܐ *coelum*, מַיִּין ܡܝܐ *aqua*, חַיִּין ܚܝ̈ܐ *vita*, פָּנִים ܐܦ̈ܐ *facies*, עוּלֵמִין *juventus*, ܕܡ̈ܝܐ *pretium* etc. — Rursus alia singularem tantum admittunt, uti: דְּהַב, ܕܗܒܐ *aurum*, פַּרְזֶל *ferrum*, ܚܛܝܬܐ *peccatum*, ܩܘܫܬܐ *veritas*. Quaedam nomina syriaca singularia accipiunt, si sensum collectivum prae se ferunt, signum Ribui, ut: ܒܩܪ̈ܐ *grex boum*, ܒܥܝܪ̈ܐ *jumenta*, ܦܪܚ̈ܐ *volucres*, ܥܢ̈ܐ *grex ovium* etc.

5) Composita Syrorum (§. 46. 2.) pluralem admittunt a) vel in posteriori voce, ut in: ܒܥܠܕܒܒ̈ܐ *inimici*, b) vel in priori, ut: ܒܢ̈ܝܢܫܐ *homines*, c) vel in utraque simul, ut: ܒܢ̈ܬܩܠ̈ܐ (*filiae vocum*) *nugae*.

6) Exoticorum praecipue graecorum nominum pluralis regulariter formam vere syriacorum plerumque emphaticam sequitur, ut: ܐܣܛܪܛܝ̈ܘܛܐ στρατιῶται, ܢܘ̈ܛܐ ναῦται, ܐܦܝܣܩܘܦ̈ܐ

ἐπίσκοποι, ܦܠܢܓܐ φάλαγγες, raro feminina adhibetur, ut: ܐܣܛܕܘܬܐ στάδια, ܦܠܛܝܘܬܐ πλατεῖαι. Nonnumquam Syri terminationes exoticas plurales retinent et accusativum ας primae declinationis graecae per ܝܣ, ܐܣ, ܘܣ, et ܐܘܣ reddunt, ut: ܐܪܟܣ et ܐܪܟܘܣ ἀρχάς, ܐܬܝܢܣ et ܐܬܝܢܘܣ Ἀθῆνας, ܕܝܐܬܝܩܣ, ܕܝܐܬܝܩܐܣ et ܕܝܐܬܝܩܘܣ διαθήκας, οι et ους 2. decl. per ܘ et ܘܣ aut ܘܣ, v. g. ܐܪܝܢܘ Ἀριανοί, ܦܝܠܝܦܘܣ Φιλίππους, ܩܠܝܪܝܩܘܣ κληρικούς, et neutra ejusdem declin. α per ܐ, v. g. ܡܛܠܠܐ μέταλλα, et ων per ܘܢ, v. g. ܐܪܟܝܘܢ ἀρχείων; nomina in ες et ας desinentia formant per ܝܣ, ܐܣ, ܘܣ, ut: ܦܠܟܣ et ܦܠܟܐܣ πλάκας, ܣܝܪܝܢܘܣ σειρῆνας, ις et εις per ܝܣ, v. g. ܒܐܣܝܣ βάσεις, ιας per ܝܐܣ, v. g. ܐܩܠܝܦܣܝܐܣ ἐκλείψιας, et neutra in ατα per ܛܐ seu ܐܛܐ, v. g. ܕܘܓܡܛܐ et ܕܘܓܡܐܛܐ δόγματα.

Not. Graecomaniae est tribuendum, si in vocibus Syria oriundis terminatio invenitur graeca, v. g. ܦܪܕܝܣܐܣ (Barh.) *horti* pro ܦܪܕܝܣܐ, ܩܘܪܝܣ seu ܩܘܪܝܐܣ *pagi* pro ܩܘܪܝܐ.

§. 49. De nominum Statu.

1) Praeter statum absolutum et constructum, quem utrumque Aramaei communem habent cum reliquis Semitis, accedit tertius status isque emphaticus, quo Aramaei utuntur, ubi reliquae linguae articulum solent adhibere, ast utraque dialectus aramaea ab ejus primitivo multum aberravit significatu statumque emphaticum saepe praecipue in masculinis pro absoluto statu et indefinite ponit.

Not. Status emphaticus nomen traxit ab ἐμφαίνειν *monstrare*, quo jure et posset vocari demonstrativus.

2) Statui absoluto, qui independentiam exprimit nominis, quod alteri nec est subordinatum nec explicando circumscribendove inservit, oppositus est status constructus, status dependentiae; nam nomen in statum constructum ponendum semper indiget alio immediate sequente nomine, quo explicatur et definitur. Utrumque nomen definiens et

definitum confluit quasi in unum conceptum compositum, quin tamen in unum conjungatur, quem ob nexum constructivum nomen quaedam oportet subire mutationes, quae maxime concernunt abbreviationes aut concentrationes vocalium; nam nomen in statu constructo per subsequens definitum brevius ac celerius pronunciatur, quo inducitur vocalium praeprimis finalium mutatio et casuum propria formatio.

Status constructus a) nominum mascul. in singulari parum aut plane non discrepat a statu absoluto; in plurali vero formatur e statu absoluto mutata ejusdem terminatione ־ִין et ܝ̈ܢ in ־ֵי et ܝ̈ (Nun scilicet abjecto), v. g. מַלְכֵי a מַלְכִּין, ܡܠܟ̈ܝ a ܡܠܟ̈ܝܢ; b) nomina feminina in singulari mutant terminationem status absoluti ־ָא et ܐ in ־ַת et ܬ, terminationi vero ־ִי ܝ et ו ܘ additur ת ܬ, v. g. מְדִינַת ex מְדִינָא *urbs*, ܒܬܘܠܬ e ܒܬܘܠܐ *virgo*, מַלְכוּת e מַלְכוּ *regnum*, ܡܠܟܘܬ e ܡܠܟܘ, מַשְׁרִית a מַשְׁרִי *exercitus*, ܡܫܪܝܬ a ܡܫܪܝ; in plurali ponunt loco Nun pluralis status absoluti literam ת, ܬ, hinc terminantur in ־ַת ܬ̈, v. g. מְדִינָת a מְדִינָן, ܒܬܘ̈ܠܬ e ܒܬܘ̈ܠܢ, מַלְכְוָת ex מַלְכְּוָן, ܙܩ̈ܘܬ ex ܙܩ̈ܘ, מַשְׁרְיָת ex מַשְׁרְיָן, ܫܢ̈ܝܬ ex ܫܢ̈ܝܢ.

3) Status emphaticus i. e. nomen cum articulo, quem Aramaei modo speciali voci suffigunt (sicuti in lingua danica: *Konungen = dem König* et in vernacula: *Friedrichen*, *Karl'n* etc.), formatur e statu constructo addita ־ָא ܐ (= ה artic. heb.) terminatione, quae tamen vario accedit modo, et quidem:

a) simpliciter ad singularem nominum mascul., v. g. אוֹצְרָא ab אוֹצָר *thesaurus*, ܥܡܡܐ ab ܥܡ *populus*; quae tamen in ־ֵא et ־ֵי, ܐ desinunt, hujus loco assumunt ־ְיָא et ־ָאָה, ܝܐ, uti: גַּלְיָא a גְּלֵא et קַדְמָאָה a קַדְמַי, ܩܕܡܝܐ a ܩܕܡܝ.

In plurali terminatio masculina ־ִין, ܝ̈ܢ transit in ־ַיָּא, ܐ̈, exceptis masculinis sing. in ־ַי, ܝ desinentibus, quae terminantur in ־ֵי (vel ־ָיא), ܝ̈ܐ, v. g. מַלְכַיָּא, ܡܠܟ̈ܐ, קַדְמָאֵי,

ܓܠܝ̈ܬܐ, quae terminatio in ־ַי saepius etiam absolute occurrit in nominibus gentiliciis, quorum est propria, ut: מִצְרָאֵי *Aegyptii*, מִדְיָנָאֵי *Midianitae*. Jos. 24, 11.

b) ad statum constructum nominum femininorum tum in singulari (ejecta vocali ַ et ָ ante Thau), tum in plurali, ut: מְדִינְתָא, ܡܕܝܢܬ sing. et מְדִינָתָא ܡܕ̈ܝܢܬ pl. — מַלְכוּתָא ܡܠܟܘܬ sing. מַלְכְוָתָא ܡܠܟ̈ܘܬ pl.

§. 50. De nominum Motione.

Sub motione nominum intelligitur ratio, qua ex nominibus masculinis (sive substantivis sive adjectivis) fiunt feminina; generatim haec motio fit addita terminatione feminina ־ָא ܬܐ, v. g. קַדִּישְׁתָּא ܩܕܝܫܬܐ *sancta* a קַדִּישׁ, ܩܕܝܫ, attamen ob speciales literarum finalium proprietates est notandum:

1) Nomina masculina, quae in Olaph (vel Jud) quiescens aut in Jud mobile (praecedente vocali *a*) desinunt, istam vocalem in motione ob accrescentem in fine syllabam amittunt, si litera infirma est radicalis, v. g. גַּלְיָא ex גָּלֵא, מְגַלְיָא e מְגַלֵּי, ܓܠܝܬܐ e ܓܠܐ, si vero litera infirma est servilis,. tunc in dialecto chaldaica י abit in א (Aleph terminationis femininae in ה mutato, ne duo Aleph occurrant = ־ָאָה), in syriaca autem Jud manet, ut: קַדְמָאָה *prima* a קַדְמַי *primus*, ܩܕܡܝܬܐ a ܩܕܡܝ.

Not. a. Nomina, quae in masculino exeunt in literam Jod quiescentem, in utraque dialecto non raro assumunt ante terminationem femininam literam Aleph, quae proprie ad radicem pertinet, in statu vero absoluto negligitur, ut: סַגִּיאָה ܣܓܝܐܬܐ *multa* a סַגִּי (סְגִי) ܣܓܝ.

Not. b. Nonnulla nomina ante terminationem femininam literam Jud inserunt, ut: ܙܥܘܪܝܬܐ a ܙܥܘܪ *parvus*.

2) In illis nominibus, quorum ultima syllaba habet vocalem mutabilem, ista aut mutatur in brevem, aut saepius excidit ante terminationem femininam.

§. 51. De nomine cum suffixis seu de statu suffixo.

Suffixis (§. 15. 2. B.) ad nomen accedentibus (= status suffixus) sequentes mutationes inducuntur:

1. In singulari accedunt suffixa ad statum emphaticum nominum utriusque generis et dialecti, abjecta litera א, ܐ, modo tamen speciali, ratione scil. habita vocalium; revertitur ènim vocalis proxime praecedens in statu emphatico ejecta, quando annectitur suffixum, quod per se constituit syllabam nec non suffixum grave (1. p. sing. syr.), quod non pronunciatur, ante reliqua autem suffixa nomen e statu emph. desumtum manet immutatum, v. g. עָלַם ܥܳܠܰܡ, emp. עָלְמָא ܥܳܠܡܳܐ, stat. suff. עָלְמְהוֹן ܥܳܠܡܗܽܘܢ vel ܥܳܠܡܝ, e contra עָלְמֵהּ ܥܳܠܡܶܗ; similiter קַדְמָאָה e statu emph. קַדְמָאָה.

Not. Ultima litera Jod ante suffixa 2. et 3. plur. in utraque dialecto et ante 1. sing. syriac. abit in quietem assumta vocali homogenea ִ (ִי), ܶ (ܶܝ), secus mobilis manet, v. g. גָּלְיכוֹן ex גַּלְיָא e contra גַּלְיֵהּ; ܓܶܠܝܟܽܘܢ e ܓܶܠܝܳܐ e contra ܓܶܠܝܶܗ.

2. In plurali suffixa adnectuntur nominibus in statu constructo positis utriusque dialecti ac generis, v. g. מַלְכֵיהוֹן a מַלְכֵי, ܡܰܠܟܰܝܗܽܘܢ ab ܡܰܠܟܰܝ; מְדִינָתְהוֹן a מְדִינַת, ܡܕܺܝܢܳܬܗܽܘܢ a ܡܕܺܝܢܳܬ.

Not. a. Suffixum 1. p. sing. in utraque dialecto cum Jod status constructi mascul. coalescit, v. g. מַלְכַּי et ܡܰܠܟܰܝ *reges mei*, in nexu vero cum suffixo 3. sing. masc. Jod status constructi transit in Vau, v. g. מַלְכוֹהִי et ܡܰܠܟܰܘܗ̱ܝ.

Not. b. Vocalis *e* status constructi chald. ante suffixa 1. et 2. pers. sing. masc. et fem. ac 3. sing. fem. mutatur in *a*, v. g. מַלְכַּי, מַלְכָּךְ, מַלְכַּיְכִי, מַלְכָּהָא (v. מַלְכָּהָ); in Syriaco ܰ status const. mascul. ante suffixum 3. sing. fem. mutatur in ܶ, ut: ܡܰܠܟܶܝܗ.

§. 52. De nominum Declinatione. (vid. Tab. X. et XI.)

Declinationes nominum per diversos casus in utroque numero non inveniuntur nec in lingua aramaea nec hebraea

(arabica excepta), sed nomina manent immutata in plerisque casibus; restringuntur autem nominum declinationes in lingua aramaea ad diversos tantum status eosque constructum et emphaticum, quibus motiones (§. 50.) nec non conjunctiones cum suffixis (status suffixus) sunt adnumerandae. Respectu ad nominum consonantes de diversis declinationibus vix potest esse sermo; quoad Vocales autem quaedam inter nomina diversitas est in uno eodemque statu, in nonnullis enim nominibus 1) vocales omnes manent immutatae, in aliis vero 2) una alterave earum abjici potest et quidem a) nonnunquam ultima vocalis excidit, quin amplius quid suppleatur, b) aut vocalis auxiliaris assumatur oportet ob vocalem excisam et 3) ob literas infirmas (aut radicales aut serviles) instituendae sunt quaedam mutationes, vel enim convertuntur literae infirmae mobiles in quiescentes, vel quiescentes abeunt in mobiles; hinc statuuntur

A. quatuor nominum masculinorum Aramaeorum declinationes:

I. declinatio nominum, quorum vocales nunquam excidunt;

II. declinatio nominum, quorum ultima vocalis quin compensetur excidit;

III. declinatio nominum, in quibus ob vocalem ultimam ejectam in litera proxime praecedente vacua vocalis auxiliaris est assumenda; et

IV. declinatio nominum, in quibus ob indolem ultimae literae infirmae conversio ejusdem locum habet.

Adnotanda.

ad I. declinationem. Ista declinatio comprehendit nomina omnia, quorum vocalis ultima a) immutata manet, vel b) longa vocalis abit in brevem, quod accidit tantum in dialecto chaldaica, quando syllaba clausa amittit tonum. Ubi

in lingua hebraica est vocalis impura, analogice vocalis in chaldaico sermone est immutabilis; huc pertinent:

טוּר *mons,* קָטוֹל *occisor,* אוֹצָר *thesaurus,* דָּת *lex* in st. const. דַּת; ܪܺܝܫ *caput,* ܓܰܢܳܒ *fur,* ܥܰܡ *populus.*

ad II. declinationem, cui adnumerantur nomina, quorum ultima vocalis quin compensetur excidit, quod fit, quando in ulteriori flexione ultima nominis consonans refertur ad syllabam literarum formativarum; proxime praecedens i. e. penultima nominis vocalis immutata manet, praecipue si est impura, quamvis in Chaldaismo copiosa occurrant exempla, quorum penultima vocalis longa facta est brevis in syllaba clausa; huc pertinent:

עָלַם *mundus,* כָּהֵן *sacerdos,* ܥܳܠܰܡ *saeculum,* ܣܳܗܕ *testis.*

ad III. declinationem spectant nomina, quae ultimam vocalem mutabilem abjiciunt et vocalem auxiliarem assumunt ideo, quia ultima syllaba ante ejectam vocalem suam incepit a consonante vacua; ista vocalis auxiliaris a) non raro est ַ, ֶ, in vocibus, quae segolatis Hebraeorum correspondent, b) mox *a,* mox *e* (*i*), in triliteris porro, quorum 2. radicalis est Jod quiescens in utraque dialecto, vel Vau quiescens in syriaca, c) mox est vocalis *e-i,* mox *o-u*; d) denique in nominibus, quae praeprimis ab infinitivis formae Kal hebraicae derivantur, quorum itaque vocalis est *o-u,* eandem vocalem ejectam assumunt in proxime praecedente syllaba ad nominum originem indicandam. Huc pertinent:

מְלֵךְ (מַלְכָּא) *rex,* זְמַן (זִמְנָא) *tempus,* רְגַל vel רְגֶל (רִגְלָא) *pes,* מִתְקְטֵל *occisus,* עֵין (עֵינָא vel עַיְנָא) *oculus,* קְדוֹשׁ (קוּדְשָׁה) *sanctus,* קְשׁוֹט (קוּשְׁטָא) *veritas,* ܡܫܟܚ (ܡܫܟܚܐ), ܣܦܰܪ (ܣܶܦܪܳܐ) *liber,* ܓܒܰܪ (ܓܰܒܪܳܐ) *vir,* ܪܓܶܠ (ܪܶܓܠܳܐ) *pes,* ܩܘܽܕܫ (ܩܘܽܕܫܳܐ) *sanctitas,* ܒܘܽܪܟ (ܒܘܽܪܟܳܐ) *genu.*

ad IV. declinationem referenda sunt a) nomina verbalia (participia et infinitivi) ultimae radicalis Aleph; generatim ante omne accrementum ista litera radicalis abit in

Jod mobile, nonnisi in plur. status absoluti utriusque dialecti et constructi chaldaicae plane ejicitur, v. g. טַלְיָא, טַלְיָן, טַלְיֵי ex טְלָא, ܛܠܝܐ, ܛܠܝܢ, ܛܠܝ̈ܐ ex ܛܠܐ, ast ܛܠܝ̈ (st. const.). In nonnullis hujus declinationis vocibus assumitur vocalis auxiliaris, ut in: שִׁבְיָא ܫܒܝܐ *captivitas* a שְׁבִי ܫܒܝ.

Not. Tria nomina syriaca in plur. pro ܝ̈ܐ habent ܬ̈ܐ, scl. ܛܠܝ̈ܬܐ, ܩܨܝ̈ܬܐ et ܚܕܝ̈ܬܐ a sing. emph. ܛܠܝܐ *puer,* ܩܨܝܐ *fragmentum* et ܚܕܝܐ *pectus.*

b) nomina denominativa in ־ַי, quorum litera servilis accedente accremento in fine abit in א, v. g. קַדְמָאָה, קַדְמָאִין ex קַדְמַי *primus*; in statu emphatico pl. in his nominibus occurrit terminatio in ־ָאֵי, ܝܐ, v. g. קַדְמָאֵי ܦܪܢܓܝܐ *Franci,* ܝܘܢܝܐ *Graeci.*

B. In nominibus femininis assignari possunt eaedem declinationes, quae sunt in masculinis, solummodo nulla occurrunt nomina feminina, quae respondent nominibus masc. II. declinationis, hinc assignantur tres nominum femininorum declinationes:

ad I. declinationem referuntur omnia generis feminini nomina, quae praeter flexionis vocales non admittunt alias, hinc aut retinent eas immutatas, aut permutant longam in brevem, quando syllaba aperta fit clausa; literae Jod et Vau quiescentes in numero plurali fiunt mobiles, quia istae literae insigniuntur vocali, ob quam vocalis auxiliaris evanescit. Huc pertinent:

מְדִינָא *provincia,* מַלְכוּ *regnum,* מַשְׁרִי *exercitus;*
ܒܬܘܠܬܐ *virgo,* ܙܟܘ *victoria,* ܪܒܚ *lucrum.*

ad II. declinationem spectant nomina e terminatione feminina, quorum ultima syllaba in statu absol. sing. a consonante vacua incipit et mutabili vocali est insignita, hinc ubicumque excidit vocalis ultimae syllabae, assumenda est vocalis auxiliaris, quae est vel *a* (־ַ ־ܰ) v. g. אַרְמַלְתָּא ab אַרְמְלָא, ܐܪܡܠܬܐ ab ܐܪܡܠܐ *vidua,* vel *e* — *i* (־ֶ ־ִ, ־ܶ ־ܺ) in vocibus deri-

vatis a masculinis cum vocali *e* — *i*, v. g. יַלְדָא a masc. יָלֵד format emp. יָלְדְתָּא *parturiens*, ܩܳܛܠܳܐ format emp. ܩܳܛܠܬܳܐ *occidens*, vel *o-u* praecipue in vocibus, quae designant notionem abstractam, v. g. ܬܶܫܒܽܘܚܳܐ fit ܬܶܫܒܽܘܚܬܳܐ *laus*. In dialecto syriaca praeterea vocalis a praecedente litera in subsequentem remittitur, sive fuerit ܰ, v. g. ex ܚܰܒܪܳܐ *socia* fit ܚܒܰܪܬܳܐ, sive ܶ, ܺ, ut: ܥܓܶܠܬܳܐ ex ܥܶܓܠܳܐ *vacca*, praeprimis in vocibus, quarum masculinum est segolatum.

Not. Si consonans vacua non refertur ad subsequentem sed ad praecedentem syllabam, vocalis auxiliaris assumatur non oportet, hinc dicitur ܕܶܒܚܬܳܐ a ܕܶܒܚܳܐ *sacrificium*; e contra ܚܶܟܡܬܳܐ *sapientia*, quia in priori exemplo ܒ refertur ad priorem syllabam et litera ܟ vacua in posteriori ad sequentem syllabam. In nonnullis vocibus mox assumitur vocalis auxiliaris mox negligitur, ut in ܕܶܚܠܳܐ *timor*, hinc: ܕܶܚܠܬܳܐ et ܕܚܶܠܬܳܐ.

ad III. declinationem numerantur omnia nomina feminina, quorum 3. radicalis est infirma, sive sit in statu absoluto sing. litera mobilis sive quiescens; haec in statu emph. apparet qua quiescens, quia assumitur vocalis auxiliaris literae infirmae homogenea, hinc si litera adest Jod, recipitur *e-i*, si autem Vau, tunc assumitur *o-u*; hinc ex גַּלְיָא fit גַּלְיְתָא, ex קַדְמָאָה fit קַדְמֵיתָא; ex ܛܠܳܝܳܐ *puella* fit ܛܠܺܝܬܳܐ, ex ܚܰܝܘܳܐ *animal* fit ܚܰܝܘܬܳܐ.

Not. a. Per exceptionem inveniuntur nomina, quae assumunt vocalem in litera proxime praecedente non homogeneam sed heterogeneam, v. g. אוֹרָיְתָא *doctrina* pro אוֹרַיְתָא.

Not. b. In dialecto syriaca pro terminatione consueta in ܬܳܐ nonnunquam invenitur terminatio in ܬܳ condensato scilicet Olaph in Thau, v. g. ܡܢܳܬ *pars* pro ܡܢܳܬܳܐ; in plurali autem ista litera, quae in sing. ob subsequens ܬ excidit, reassumitur fitque mobilis, ut: ܡ̈ܢܰܘܳܬܳܐ. Si ultima nominum syllaba incipit a consonante vacua, in numero plur. ab accrementum assumitur vocalis auxiliaris *a*, vel *e-i* in ista consonante vacua, v. g. ܕܡܽܘܬ *similitudo* in plur. ܕܶܡܘܳܢ, ܕܶܡܘܳܬܳܐ, quae vocalis in Syriaco nonnunquam remittitur in subsequentem literam, v. g. ܨܠܘܽܬ *preces* in plur. ܨܠܰܘܳܢ, ܨܠܰܘܳܬܳܐ.

Not. c. Denominativa chaldaica in אָה—ָ condensant ה in ת, si quid accrescit simulque א mutant in י, v. g. קַדְמֵיתָא, קַדְמָיָתָא a קַדְמָאָה.

§. 53. De nominibus anomalis et defectivis.

Nomina anomala sunt ea, quae a vulgari regula deflectunt, aut cum nullo alio aut certe cum perpaucis suâ conveniunt discrepantiâ suntque plerumque primitiva vocabula quam maxime usitata. Sequuntur eorum praecipua:

A. Masculina.

אַב ܐܒ *pater*, st. emph. אַבָּא ܐܒܐ, st. suff. אֲבוּךְ ܐܒܘܟ, אֲבוּהִי ܐܒܘܗܝ, plur. אֲבָהָן, ܐܒܗ̈ܝܢ et ܐܒܗ̈ܝ, st. const. אֲבָהָת ܐܒܗ̈ܬ emph. אֲבָהָתָא ܐܒܗ̈ܬܐ.

אַח, אֲחָא ܐܚܐ *frater*, st. suff. אֲחוּךְ ܐܚܘܟ, plur. אַחִין ܐܚ̈ܝܢ.

בַּר ܒܪ *filius*, st. emph. בְּרָא ܒܪܐ, plur. בְּנִין ܒܢ̈ܝܢ, st. emph. בְּנַיָּא ܒܢ̈ܝܐ.

בַּיִת ܒܝܬ *domus*, st. emph. בַּיְתָא (בֵּיתָא) ܒܝܬܐ, st. const. בֵּית ܒܝܬ, plur. בָּתִּין ܒܬ̈ܝܢ, st. emph. בָּתַּיָּא ܒܬ̈ܐ, st. const. בָּתֵּי ܒܬ̈ܝ.

שֵׁם (שׁוּם) ܫܡ *nomen*, st. emph. שְׁמָא ܫܡܐ, plur. שְׁמָהָן ܫܡܗ̈ܝܢ et ܫܡܗ̈ܝ, st. const. שְׁמָהָת, ܫܡܗ̈ܬ et ܫܡܗ̈ܬܐ.

עַם ܥܡܐ *populus*, plur. עַמְמִין ܥܡܡ̈ܝܢ, emph. עַמְמַיָּא ܥܡܡ̈ܐ.

ܡܪܐ et ܡܪܝܐ pro ܡܪܝܐ *dominus*, suff. ܡܪܝ, ܡܪܟ, ܡܪܢ plur. ܡܪ̈ܘܬܐ et ܡܪ̈ܘܡܐ.

ܐܬܪ *locus*, emph. ܐܬܪܐ, plur. ܐܬܪ̈ܘܢ, const. ܐܬܪ̈ܘܬ, emph. ܐܬܪ̈ܘܬܐ.

אֱנָשׁ vel אֵינָשׁ (נָשׁ = ܐܢܫ) *homo*, emph. אֵינָשָׁא vel אֱנָשָׁא, plur. אֱנָשִׁין vel decurt. נָשִׁין, const. אֵינָשֵׁי.

B. Feminina.

אֵם ܐܡ *mater*, st. emph. אִמָּא ܐܡܐ, plur. אִמִּין et אִמְהָן ܐܡܗ̈ܝ.

בַּת emph. בְּרַתָּא ܒܪܬܐ *filia*, const. בְּרַת ܒܪܬ, suff. בְּרַתָּךְ ܒܪܬܟ, plur. בְּנָן ܒܢ̈ܢ, emph. בְּנָתָא ܒܢ̈ܬܐ.

אֲמָא ܐܡܐ *ancilla*, emph. אַמְתָּא, ܐܡܬܐ, plur. אַמְהָן ܐܡܗ̈ܝ, suff. אַמְהָתַהּ, ܐܡܗ̈ܬܗ.

שְׁנָא ܫܢܐ *annus*, emph. שַׁתָּא ܫܢܬܐ, const. שְׁנַת ܫܢܬ, plur. שְׁנִין ܫܢܝܢ, emph. שְׁנַיָּא ܫܢܝܐ.

קְרִי, emph. קִרְיָא (קִרְתָּא, קִרְיְתָא, קִרְוָא, קוּרְיָא) ܡܕܝܢܬܐ et ܩܘܪܝܐ *urbs*, plur. קִרְוִין, (קִרְוָן, קוּרְוִין), emph. קִרְוַיָּא ܩܘܪܝܐ.

אִתָּא, emph. אִתְּתָא vel אִנְתְּתָא (ܐܢܬܬܐ) *mulier*, const. אִתַּת, plur. נְשִׁין, emph. נְשַׁיָּא (ܢܫܐ), const. נְשֵׁי.

ܣܦܐ *labium*, emph. ܣܦܬܐ, plur. ܣܦܘܬ, emph. ܣܦܘܬܐ.

ܚܬܐ pro ܐܚܬܐ ab ܐܚܐ, ch. אֲחָת, *soror*, plur. ܐܚܘܬ, emph. ܐܚܘܬܐ.

§. 54. De Adjectivis.

1) Adjectiva ratione formae et flexionis habita cum substantivis conveniunt; formae frequentissimae sunt: קְטַל ܩܛܠ, קְטִיל ܩܛܝܠ, קַטִּיל ܩܛܝܠ, rariores: קָטֵל, קוּטָל, ܩܛܠ, ܩܛܘܠ, ܩܘܛܠ et quae desinunt in ܝ and et ܢ, ܐ et ܢܐ.

2) Sunt quidem Aramaeis adjectiva frequentiora, quam Hebraeis, nec tamen sufficiunt; defectus itaque compensatur per substantiva, de qua compensatione et eorum gradibus vide Syntaxin §. 77 et 78.

§. 55. De Numeralibus.

Numeralia Aramaeorum aut A. Cardinalia sunt aut B. Ordinalia. Illa duplici gaudent forma masc. et femin. et valet eadem cum Hebraeis numeralium a 3—10 cum nominibus conjungendorum norma, qua feminina cum nominibus masc. junguntur, masculina vero cum nominibus femin.

A. Cardinalia.

a) Unitates.

	Masc.	Femin.	Masc.	Femin.
1.	חַד	חֲדָא (חֲדָה)	ܚܕ	ܚܕܐ
2.	תְּרֵין	תַּרְתֵּין	ܬܪܝܢ	ܬܪܬܝܢ
	(תְּרֵי)	(תַּרְתֵּי)	(ܬܪܝ)	(ܬܪܬܝ)

3.	תְּלָתָא	תְּלָת	ܬܠܳܬܳܐ	ܬܠܳܬ
4.	אַרְבְּעָא	אַרְבַּע	ܐܰܪܒ݁ܥܳܐ	ܐܰܪܒ݁ܰܥ
5.	חַמְשָׁא	חֲמֵשׁ	ܚܰܡܫܳܐ	ܚܰܡܶܫ
6.	שִׁתָּא	שֵׁת (שִׁית)	ܫܶܬܳ݁ܐ (ܐܶܫܬܳ݁ܐ)	ܫܶܬ
7.	שַׁבְעָא (שִׁבְעָא, שׁוּבְעָא)	שְׁבַע (שַׁב)	ܫܰܒܥܳܐ	ܫܒܰܥ
8.	תְּמַנְיָא	תַּמְנֵי (תְּמָנֵי)	ܬܡܳܢܝܳܐ	ܬܡܳܢܶܐ
9.	תִּשְׁעָא	תְּשַׁע	ܬܶܫܥܳܐ	ܬܫܰܥ
10.	עַסְרָא	עֲסַר	ܥܶܣܪܳܐ	ܥܣܰܪ.

b) **Decades** per pluralem unitatum exprimuntur suntque generis communis, hinc:

20 = עֶשְׂרִין (עֶסְרִין) ܥܶܣܪܺܝܢ, 30 = תְּלָתִין ܬܠܳܬܺܝܢ, 40 = אַרְבְּעִין ܐܰܪܒ݁ܥܺܝܢ, 50 = חַמְשִׁין ܚܰܡܫܺܝܢ, 60 = שִׁתִּין ܫܬ݁ܺܝܢ, 70 = שַׁבְעִין ܫܰܒܥܺܝܢ, 80 = תַּמְנַן (תְּמָנַן תְּמָנִין) תַּמְנִין ܬܡܳܢܺܝܢ, 90 = תִּשְׁעִין (שׁוּבְעִין) ܬܶܫܥܺܝܢ.

c) **Centum** = מְאָה ܡܳܐܐ, 200 = מָאתַיִן vel מָאתָן ܡܳܐܬܶܝܢ, 300 = תְּלָת מְאָה ܬܠܳܬ ܡܳܐܐ et sequentia semper tamen unitatibus in forma feminina numeris centenariis praemissis. **Mille** = אֲלַף vel אֶלֶף, emp. אַלְפָּא, plur. אַלְפִּין, emph. אַלְפַּיָּא, ܐܠܰܦ, emph. ܐܰܠܦܳܐ, plur. ܐܰܠܦܺܝܢ, ܐܰܠܦܶܐ. 2000 = תְּרֵין אַלְפִּין, ܬܪܶܝܢ ܐܰܠܦܺܝܢ, 3000 = תְּלָתָא אַלְפִּין, ܬܠܳܬܳܐ ܐܰܠܦܺܝܢ et sequentia semper tamen unitatibus in forma masculina praemissis. 10,000 רִבּוֹ vel רִבּוֹא, ܪܶܒܘ݂ *myrias.*

d) Cardinalia ab 11—19 in unam vocem plerumque componuntur, ita ut minor numerus antecedat genere tamen distincto, hinc:

	Masc.	Fem.	Masc.	Fem.
11.	= חַד עֲסַר (חַדְסַר)	חֲדָא עַסְרֵי (חַדְסְרֵי)	ܚܰܕܥܶܣܰܪ	ܚܕ݂ܰܥܣܰܪ݂ܐ
12.	= תְּרֵיסַר	תַּרְתֵּיסְרֵי	ܬܪܶܥܣܰܪ	ܬܰܪܬܰܥܣܪܶܐ
13.	= תְּלֵיסַר (תְּלָתֵיסַר)	תְּלֵיסְרֵי	ܬܠܳܬܰܥܣܰܪ	ܬܠܳܬܰܥܣܪܶܐ
14.	= אַרְבֵּיסַר (אַרְבְּסַר)	אַרְבֵּיסְרֵי	ܐܰܪܒ݁ܰܥܣܰܪ	ܐܰܪܒ݁ܰܥܣܪܶܐ
15.	= חֲמֵיסַר	חֲמֵיסְרֵי	ܚܰܡܫܰܥܣܰܪ	ܚܰܡܫܰܥܣܪܶܐ
16.	= שִׁתֵּיסַר	שֵׁיתְסְרֵי	ܫܬ݁ܰܥܣܰܪ (ܫܬ݁ܬ݁ܰܥܣܰܪ)	ܫܬ݁ܰܥܣܪܶܐ

17. = שְׁבַסַר	שְׁבַסְרֵי	ܫܒܥܣܪ	ܫܒܥܣܪܐ
18. = תְּמָנֵיסַר	תְּמָנֵיסְרֵי	ܬܡܢܥܣܪ	ܬܡܢܥܣܪܐ
19. = שְׁתְסַר	(שְׁתֵּסְרֵי) שְׁתְסְרֵי	ܬܫܥܣܪ	ܬܫܥܣܪܐ.

Numeralia ultra 20 si componuntur, major numerus minori praeponitur interjecta copula Vau, v. g. 21 = עֶסְרִין וְחַד, ܥܣܪܝܢ ܘܚܕ masc. et עֶסְרִין וַחֲדָא, ܥܣܪܝܢ ܘܚܕܐ femin., nonnunquam tamen minor numerus praecedit, v. g. ܬܪܝܢ ܘܥܣܪܝܢ = 22.

Not. Non raro Cardinalia singularia suffixis augentur, v. g. תַּרְוֵינָן ܬܪܝܢ *nos duo*, תַּרְוֵיכוֹן ܬܪܘܝܟܘܢ *vos duo* etc.

B. Ordinalia.

1) Ordinalia a 3.—10. de cardinalibus syllabâ ִי— (ִיא—), ܝܐ, emphat. ָאָה— (ָיָא—), ܝܐ pro masculino, et תָא, ִיתָא— (ֵיתָא—), ܝܬܐ pro feminino in fine appositâ originem trahunt, praeterea ante ultimam radicalem ִי—, ܝ inseri solet; hinc:

	Masc.	Femin.		Masc.	Femin.
Primus	קַדְמַי	קַדְמָאָה	(קַדְמֵיתָא)	ܩܕܡܝ	ܩܕܡܝܬܐ
Secundus	תִּנְיָן (תִּרְיָן)	תִּנְיָנָא	emph.	ܬܪܝܢܐ	ܬܪܝܢܝܬܐ
Tertius	תְּלִיתַי	תְּלִיתָא	(תְּלִיתֵיתָא)	ܬܠܝܬܝܐ	ܬܠܝܬܝܬܐ
Quartus	רְבִיעַי	רְבִיעָאָה	(רְבִיעֵתָא)	ܪܒܝܥܝܐ	ܪܒܝܥܝܬܐ
Quintus	חֲמִישַׁי	חֲמִישָׁאָה	(חֲמִישִׁיתָא)	ܚܡܝܫܝܐ	ܚܡܝܫܝܬܐ
Sextus	שְׁתִיתַי	שְׁתִיתָאָה	(שְׁתִיתֵיתָא)	ܫܬܝܬܝܐ	ܫܬܝܬܝܬܐ
Septimus	שְׁבִיעַי	שְׁבִיעָאָה	(שְׁבִיעֵיתָא)	ܫܒܝܥܝܐ	ܫܒܝܥܝܬܐ
Octavus	תְּמִינַי	תְּמִינָאָה	(תְּמִינְתָא)	ܬܡܝܢܝܐ	ܬܡܝܢܝܬܐ
Nonus	תְּשִׁיעַי	תְּשִׁיעָאָה	(תְּשִׁיעֵיתָא)	ܬܫܝܥܝܐ	ܬܫܝܥܝܬܐ
Decimus	עֲסִירַי	עֲסִירָאָה	(עֲסִירֵיתָא)	ܥܣܝܪܝܐ	ܥܣܝܪܝܬܐ.

2) Ordinalia decadum Hebraeorum instar exprimuntur per cardinalia, aut formantur in Syriaco addita syllaba ܢܝܐ m., ܢܝܬܐ fem., v. g. ܥܣܪܢܝܐ, ܬܠܬܝܢܝܐ; unitates cum decadibus conjunctae his postponuntur, ut: ܥܣܪܢܝܐ ܬܠܬܝܐ *vigesimus tertius*.

3) Ordinalia intermedia a 11.—19. etc. formantur per cardinalia unitatum, quae cum subsequente ordinali decadum

in unam vocem copulantur, v. g. חֲדְסַרֵי, ܚܕܥܣܪܝܐ *undecimus*, תְּרֵיסַרֵי ܬܪܥܣܪܝܐ *duodecimus*; libenter tamen in definitione temporis cardinalia vices gerunt ordinalium, id quod praecipue obtinet in cardinalibus post statum constructum positis vel cum praefixa particula ܕ nexis, v. g. ܕܚܕܥܣܪ, ܕܬܪܥܣܪ.

Not. Ab ordinalibus derivantur nomina abstractae significationis ita, ut terminatio ܘ (ܘܬܐ) syllabam ܝ excipiat, v. g. ܬܠܝܬܝܘܬܐ *trinitas*.

C. Reliqua Numeralia.

1) Distributiva exprimuntur geminato numero cardinali sine copula, v. g. תְּרֵין תְּרֵין, ܬܪܝܢ ܬܪܝܢ *bini*, עַשְׂרָא עַשְׂרָא, ܥܣܪܐ ܥܣܪܐ *deni*.

2) Partem totius notantia indicantur propriis formis, ut: תְּלָתָא, תּוּלְתָּא, תַּלְתּוּת ܬܘܠܬܐ *tertia pars* = 1/3; רְבִיעַ, רוּבְעָא, ܪܘܒܥܐ = 1/4, vel modo periphrastico per praepositionem מִן ܡܢ, ut: חַד מִן שִׁתָּא = 1/6, ܚܕ ܡܢ ܚܡܫܐ = 1/5; 1/2 exprimitur per פַּלְגָּא et פַּלְגוּא, ܦܠܓܐ et ܦܠܓܘܬܐ.

3) Multiplicativa notantur a) per cardinalia praemisso חַד ܚܕ (cum vel sine ܒ), v. g. חַד שִׁבְעָה, ܚܕ ܫܒܥܐ *septuplum*, חַד תְּרֵין, ܚܕ ܬܪܝܢ *duplum*; b) nonnunquam simpliciter per cardinalia cum ܒ, v. g. ܒܐܪܒܥܐ *in quatuor* i. e. *quadruplum*, aut circumscriptive, ut: עַל חַד מְאָה *pro uno centum* = *centuplum*.

4) Vicem notantia describuntur per cardinalia addito nomine זְמַן, זִמְנִין, ܙܒܢ *tempus* et ܐܘܪܚܐ, ut: חֲדָא זִמְנָא ܚܕܐ ܙܒܢ *semel*, תַּרְתֵּין זִמְנִין *bis*, nonnunquam זְמַן ܙܒܢ omittitur. In Syriaco talia numeralia etiam exprimuntur per adverbia ordinalium in ܘܬ vel ܐܝܬ terminantia, v. g. ܬܪܝܢܘܬ *bis*, ܬܠܝܬܐܝܬ *ter*.

IV. CAPUT.

De Particulis.

Particulae, quibus adnumerantur Praepositiones, Adverbia, Conjunctiones et Interjectiones, aut primitivae sunt aut derivatae ab aliis orationis partibus; peregrinae praeprimis e lingua graeca sunt desumtae. Generatim sunt aut separatae, quae per se subsistunt, aut inseparabiles, quae semper aliis vocibus praeprimis ab initio annectuntur.

§. 56. De Praepositionibus.

1) Praepositiones primitivae sunt: a) inseparabiles ב ܒ *in, per, propter,* ל ܠ *ad,* particula דְּ ܕ, dein in Chaldaico כְּ *instar,* quae nomini et pronomini sine vocali praefiguntur, nisi ob consonantem subsequentem vacuam assumenda sit vocalis auxiliaris ִ, ܶ (et in Chaldaico ante Schwa compositum ejusdem vocalis, cf. §. 14. 2. d. Not. v. g. כֶּאֱנָשׁ, ubi nonnunquam et contractio locum habet, ut: לֵאלָהָא), v. g. בִּסְפַר, ܒܣܦܪܐ. In nominibus syriacis cum ܐ, ܝ et ܝܗ incipientibus vocales harum literarum ad praepositionem remittuntur ut: ܒܐܘܪܚܐ, ܒܐܘܪܫܠܡ, ܠܐܢܫܐ, ܠܝܗܘܕ.

Not. In nexu cum ܡܛܠ et ܡܛܘܪ litera ܠ attrahit ܡ, hinc ܠܡܛܠ et ܠܡܛܘܪ. (conf. §. 14. 2. b. Not.)

b) Monosyllabae separabiles: עַל, ܥܠ *super,* מִן (si conjungitur Nun sequenti literae assimilatur, ut מִדִּין, vel Nun abjectum prolongatione vocalis praecedentis suppletur, מֵאַרְעָא) ܡܢ *ab, ex,* לְוָת, ܠܘܬ *ad, apud,* עִם, ܥܡ *cum.*

2) Plurimae praepositionum sunt derivatae a substantivis ut קֳדָם, ܩܕܡ *ante, coram,* בָּתַר, ܒܬܪ *post,* תְּחוֹת, ܬܚܘܬ vel ܬܚܝܬ *sub* et aliae.

Not. Plures harum praepositionum origine nomina plur. fuisse videntur, nam cum horum suffixis junguntur, ut: עַל, ܥܠ *super*, קֳדָם, ܩܕܡ *ante*, חֲלוּף, ܚܠܦ *pro*, תְּחוֹת, ܬܚܝܬ *sub*, בֵּין, ܒܝܢܬ, ܒܝܬ *inter*, גַּב *apud*, ܠܘܬ vel ܠܘܬ *versus*, v. g. עֲלֵיכוֹן, בֵּינֵיהוֹן et ܒܝܢܬܗܘܢ (conf. §. 15. B. b. Not. b.).

3) Praepositiones compositae sunt: לְקֳבֵל, ܠܘܩܒܠ *versus*, לְקֳדָם, ܠܩܕܡ, מִן קֳדָם *coram*, בְּגִין et בְּדִיל *propter*, לְמִן, מֵעַל *ex, ab*, ܠܥܠ *super*, ܡܢ ܚܕܪ *circumcirca* etc.

§. 57. De Adverbiis.

1) Adverbiis primitivis accenseri possunt: אָן *ubi?* מָתַי *quando?* לָא *non*, אַף *etiam*, כָּא *hic*; לוֹ (ܠܐ), *non*, ܗܪܟܐ *hic*, ܠܗܢ *huc*, ܐܝܢ *profecto*.

2) Plurima adverbia (in Chaldaico pauca quidem) a nominibus et adjectivis derivantur cum terminatione וּת et ־ִית, ut: תִּנְיָנוּת *iterum*, אֲרָמִית *aramaice*, עִבְרִית *hebraice* et ܐܝܬ, ܘܬ, ܐܝܬ (ܐܝܬ), v. g. ܐܚܪܝܐܝܬ *postremo*, ܩܕܡܝܐܝܬ *primum*, ܬܢܝܢܘܬ *iterum*, ܙܕܝܩܐܝܬ *juste*, ܐܪܡܐܝܬ *aramaice*, ܣܘܪܝܐܝܬ *syriace*.

3) Defectus adverbiorum vario dein modo suppletur et quidem:

a) per formas verbales (infinitivos et participia), ut: תּוּב ܬܘܒ (*revertendo*) *iterum*, מַפְרֵעַ *retro*, ܒܥܣܩ *vix* et per verba finita §. 71.

b) per substantiva, adjectiva, numeralia et pronomina vel cum vel sine praepositionibus et quidem in accusativo posita, ut: כֵּן *certe*, קֻשְׁטָא *profecto*, הַשְׁתָּא *nunc*, ܝܘܡܢܐ *hodie*, ܗܫܐ *nunc*, ܙܒܢܐ *vice*, ܙܒܢܝܢ *aliquoties*, vel cum praeposit. ut: לַחֲדָא *valde*, כַּחֲדָא *simul*, מִיַּד *statim*, לְחוּד ܒܠܚܘܕ vel ܒܠܚܘܕ *tantum*, ܡܚܕܐ *cito*, ܠܗܫܐ *nunc*, ܠܡܢܐ *quare*.

Not. a. Adverbium interrogativum est הֲ (הַ), v. g. הֲלָא *nonne?* אֵי (אֵין), v. g. אֵי מִנַּן *unde?* Syrorum ܠܡ (vel Graecorum ἄρα = ܐܪܐ), ܐܝ, ܠܡܢܐ, ܡܛܘܠ seu ܡܛܠ *cur?*

Not. b. Adverbia composita sunt: אֵיכְדֵין *quomodo?* מִכָּא *hinc,* מִתַּם *inde,* ܥܕܟܝܠ ܠܐ *nondum,* ܥܕܡܐ ܠܐܡܬܝ *quamdiu,* ܥܕܡܐ ܠܐܝܟܐ *quorsum.*

Not. c. Plura adverbia e lingua graeca in syriacam sunt translata, ut: ܡܠܠܘܢ μᾶλλον, ܡܠܝܣܛܐ μάλιστα, ܐܝܩܐ vel ܐܝܩܝ εἰκῆ, ܛܟܐ τάχα, ܦܢܛܘܣ πάντως.

§. 58. De Conjunctionibus et Interjectionibus.

1) Conjunctiones a) primitivae sunt: ܘ et, דְ (דִּי) ܕ *quod,* כְּ *sicut* (inseparabiles), הֵן ܐܢ, *si,* או ܐܘ *aut,* כַּד ܟܕ *quum,* אַף ܐܦ *etiam,* ܦܢ *ne forte.*

Not. Conjunctiones כ et ד, ܘ et ܕ praefiguntur juxta normam praepositionum inseparabilium (§. 56. 1.), ו autem sicut in lingua hebraea ante consonantes vacuas et ante ף, ב,מ sonat וּ (conf. §. 14. 2. d. Not. c.)

b) derivatae: בְּרַם ܒܪܡ *verum,* לָהֵן *igitur;* ܥܡ *cum,* ܬܘܒ *atque.*

c) compositae: דִּי לָא vel דִּלְמָא *ne forte,* אֱלָהֵן, ܐܢ ܠܐ *nisi,* חֲלַף דְּ vel בְּדִיל דְּ *propterea, quia,* מְטוּל דְּ *quia,* עַד דִּי *usque,* עַל דֵּין, עַל דָּא vel עַל כֵּן *propterea,* כְּדִי *quum,* כֵּיוָן דְּ *postquam.* — ܐܝܟܢܐ *sicut,* ܐܠܐ et ܐܠܐ ܐܢ *nisi,* ܐܦܠܐ et ܐܦ ܠܐ *neque,* ܗܟܝܠ *itaque,* ܕܠܡܐ *ut forte,* ܕܠܐ, ܕܠܡܐ et ܠܐ ܕܠܡܐ *ne forte,* ܗܟܝܠ *igitur,* ܡܟܝܠ *ergo,* ܡܛܠܗܕܐ et ܡܛܠܗܢܐ *propterea,* ܥܕܠܐ *antequam,* ܒܗܕܐ *idcirco,* ܡܛܠ ܕ *quia.*

d) exoticae praeprimis e lingua graeca in syriacam translatae, ut: ܐܪܐ ἄρα, ܓܝܪ γάρ, ܕܝܢ δέ, ܡܢ et ܡܢ μέν, ܐܠܐ ἀλλά.

2) Interjectiones a) primitivae maximam partem ita fictae sunt, ut sonum gaudentis, moerentis, admirantis, irridentis etc. imitentur (onomatopoëticae), uti: הָא ܗܐ *ecce!* ܐܘ, ܐܘܢ *o!* ܐܗ ܐܗ *euge, euge!* וַי vel אוי vel חוי, ܘܝ vel ܐܘܝ vel ܘܝܐ *vae!* b) derivatae sunt: בְּבָעוּ, ܒܒܥܘ (etiam ܢܐ vel ܢܐ = נָא) *quaeso,* לְוַי vel לְוַי vel לְוַאי (אַלְוַי, הַלְוַי), ܛܘܒ et ܐܘܟܘܣ *utinam!* הֲבוֹל vel הֲבַל (*perii*) *vae!* חֲבוּ *agite* (imp. ab יְהַב), ܗܐ et

pl. ܙܠܘ (imp. v. ܐܙܠ) vel ܩܘܡ et ܩܘܡܘ *surgite, agite!* ܚܣ *absit!*

Not. a. Nonnullae particulae post se praepositionem aliquam postulant, ut: ܐܘܝ et ܘܝ saepe ܠ, ܐܘܗ interdum ܠ aut ܥܠ aut ܠܘܬ, v. g. ܘܝ ܠܟܝ *vae tibi!* (Math. 11, 21.).

Not. b. הָא *ecce* libenter cum pron. 1. p. sing. contrahitur, ut: הָאנָא *ecce ego!*

PARS TERTIA.

Syntaxis.

SECTIO PRIMA.

De singulis enunciationis partibus.

I. CAPUT.

De Pronomine.

§. 59. De usu Pronominum personalium

A. Separatorum.

1) Pronomina personalia verbi substantivi locum obtinent, quo in significatu pronomina syriaca ܐܢܐ, ܗܘ et ܗܝ certis obnoxia sunt mutationibus (quas vide §. 4. 4. d. α. et β.), et quidem a) pronomen simul esse potest subjectum et verbum substantivum, v. g. בַּר שְׁבַט בִּנְיָמִין אֲנָא *filius tribus Benjamin sum ego*, מְנָן אַתּוּן *unde estis vos?* מֵחָרָן אֲנַחְנָא *ex Haran sumus*, Gen. 29, 4. ܒܢܝ̈ ܓܒܪܐ ܚܕ ܚܢܢ *filii sumus nos unius viri*, plerumque tamen Syri pronomen repetunt, ita ut prius (immutatum) subjectum, alterum verbum substantivum notet, v. g. ܐܢܐ ܐܢܐ *ego sum*, ܐܢܬ ܚܙܐ ܐܢܬ *tu videbis*; b) non raro pronomen 1. aut 2. pers. tanquam subjectum et pronomen 3. pers. pro verbo substantivo copulantur, v. g. אַנְתְּה הוּא רֵאשָׁה *tu es caput*, ܐܢܬܘܢ ܐܢܘܢ ܡܠܚܗ ܕܐܪܥܐ *vos estis sal terrae* Math. 5, 13, ܐܢܐ ܗܘ ܝܫܘܥ *ego sum Jesus.*

2) Pronomina haec ab initio sententiae absolute posita emphasim quandam atque intensionen efficiunt et quidem

non solum in nominativo, sed etiam in casu obliquo explicanda sunt, v. g. אַתְּ גְּלֵי קֳדָמָךְ *tibi notum est,* ܐܢܐ ܡܢܐ ܐܥܒܕ *ego vero quid agam?* ܐܢܐ... ܦܩܝܕܐ ܠܝ *mihi erat praepositum.*

B. Suffixorum.

1) Suffixa verborum regulariter accusativum notant, raro pro alio casu usurpantur, v. g. זִיוֹהִי שְׁנוֹהִי *splendor ejus mutatus est in illo,* ܢܘܟܪܝܟ *a te alieni.*

2) Suffixa non ad nomen regens, etiamsi ad hoc pertineant, sed ad vocem in genitivo positam accedunt, v. g. בֵּית צְלוֹתִי *oratorium meum* (pr. *domus orationis meae*), רוּחַ קָדְשִׁי *spiritus meus sanctus,* ܫܡܐ ܕܩܘܕܫܝ *nomen meum sanctum,* ܒܡܐܢ̈ܝ ܩܪܒܗ *armis suis bellicis.*

3) Suffixa non solum subjectivo, sed et objectivo usu veniunt, v. g. דְּחַלְתֵּהּ, ܕܚܠܬܗ *timor de eo,* ܨܠܘ̈ܬܝ *preces ad me fusae.*

4) Substantivum suffixo auctum, si cum adjectivo conjungendum est, priorem occupat locum, v. g. ܪܘܚܟ ܚܝܐ ܘܩܕܝܫܐ *spiritus tuus vivus et sanctus.*

5) Suffixa (praeprimis in dialecto syriaca) saepius pleonastice[1]) ponuntur, quo emphasis olim indigitabatur; accedunt vero suffixa modo pleonastico:

a) ad nomen, quod immediate genitivus excipit, v. g. רֵוֵהּ דִּי רְבִיעָאָה Dan. 3, 9., לִשְׁנֵיהּ דְּצַדִּיקָא Dan. 3, 25. ܒܫܡܗ ܕܝܫܘܥ *in nomine (ejus) Jesu,* ܣܘܦ̈ܝܗ ܕܐܪܥܐ *fines (ejus) terrae.*

b) ad praepositionem, quae immediate cum nomine juncta repetitur, ut: בֵּהּ בְּדָנִיֵּאל *in (ipso) Daniel,* ܥܡܗ ܥܡ ܡܫܝܚܐ *cum Christo,* ܡܢܗ ܡܢ ܐܠܦܐ *e navigio.*

Not. In Syriaco nomini nonnunquam ܕ (genitivi nota vel rela-

---

[1]) Similiter in Hebraismo, cf. W. Gesenius Lehrgebäude der hebr. Sprache, Leipzig 1817. §. 195.

tivum) praeponitur, ut: ܒܬܪܗ ܕܝܫܘܥ *post Jesum* (pr. *post eum, qui est Jesus*), ܡܢܗ ܕܥܡܐ *e populo.*

c) ad verbum, praecipue si objectum cum ל ܠ junctum quasi explicandi causa sequitur, v. g. וְחִיתָא אָחִיד לְהוֹן לְעַמְמַיָּא Hos. 13, 1., ܗܘ ܓܝܪ ܢܚܝܘܗܝ ܠܥܡܗ Math. 1, 21.

Not. a. Dativus pronom. pers. (Dativus commodi) pleonasticus saepe verbis *eundi, surgendi, veniendi, movendi, manendi* praeprimis in imperativo et futuro positis etc. apponitur, v. g. ܐܙܠ ܠܗ *abiit,* קוּמִי לָךְ, ܩܘܡ ܠܟ *surge!* ܦܘܫܘ ܠܟܘܢ ܗܪܟܐ *maneatis hoc loco,* אֲבַדְנָא לָנָא Ezech. 37, 11.

Not. b. E contra suffixa (praeprimis neutrum significantia) nonnunquam omittuntur, ubi e contextu facile suppleri possunt, v. g. אֱלָהָא דְאַבָּא *Deus patris (mei),* ܐܣܬܟܠ *(id) intelligas*; ubi idem objecti suffixum duobis verbis competit, saepe semel tantum ponitur, v. g. ܐܪܝܡܘ ܣܡܘܗܝ *exaltarunt et posuerunt eum.*

Not. c. Suffixum si repetitur, non pleonastice, sed emphatice explicandum est, v. g. בָּרְכֵנִי אַף לִי Gen. 27, 34., ܠܢ ܡܢܐ ܠܢ *quid ad nos?*

6) Scriptores aramaici saepe e 2. in 3. personam et vice versa deflectunt, nec genus nec numerum semper stricte observant (enallage), v. g. Luc. 13, 34. *Jerusalem occidens prophetas* ܠܘܬܗ *(ad se) ad te missos;* מַלְכֵּיהוֹן psalm. 149, 2 pro מַלְכְּהוֹן et Habac. 2, 15, ܥܪܛܠܝܘܬܗܘܢ *nuditatem eorum* pro *ejus,* עִמְּכוֹן de nuribus Noemi Ruth 1, 8, 9.

Not. a. Pluralia tantum modo singulari, modo plurali pronominum utuntur; collectiva (fem. sing.) etiam cum plurali masc. pronominum construuntur, v. g. ܫܡܝܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܬ ܡܢ ܥܠܡ *coelum erat ab aeterno,* ܕܒܪܗ ܠܐܢܫܝ ܒܝܬܗ ܘܣܟܪ ܐܢܘܢ *abduxit familiam ejus et inclusit eos.*

Not. b. Syri distinguunt inter ܡܪܝ et ܡܪܢ: priori forma insigniunt omnes, praecipue doctos orthodoxos salutando, posteriori autem instar pluralis majestatici utuntur; hinc Peschito N. T. graecum ὁ κύριος ita vertit.

7) Pronima possessiva per דִּיל ܕܝܠ cum suffixis expressa usurpantur: a) praecipue in vocibus peregrinis, quae suffixa non amant, v. g. ܦܠܛܝܢ ܕܝܠܗ *palatium ejus;*

b) ubi solo suffixo aut quaedam ambiguitas oriretur, aut sententia non satis exprimeretur, v. g. ܕܝܠܟ ܗܘ ܡܠܟܘܬܐ *tuum est regnum;*

c) emphasis causa, ita ut ܕܝܠ דִּיל suffixo auctum et suffixum nomini adjunctum simul usurpentur, v. g. ܡ̈ܠܝ ܕܝܠܝ *mea verba* (Joan. 5, 47), similiter ܒܢ ܕܝܠܢ *in nobis, nobis inquam.*

§. 60. De usu Pronominis demonstrativi et interrogativi.

1) Si demonstrativum copula Vau junctum repetitur, vertendum est: *hic-ille*; cum ܗܘ et ܗܢ nexum emphasim notat, v. g. ܗܠܝܢ ܗܘ ܡܡܠܠܢܐ *haec loquor.*

Not. Femininum plerumque neutrius vicibus fungitur, v. g. שְׁמַעוּ דָא *audite hoc*; imo nonnunquam et masculinum adhibetur, ut: עַל דְּנָה *secundum hoc*, ܡܛܠ ܗܢܐ *propter hoc.*

2) Interrogativum, ubi nomini in statu const. posito postponitur vel nomini in stat. emph. collocato notâ דְּ ܕ, genitivi instructum succedit, genitivi casu exponitur, v. g. בַּת מַן אַתְּ et ܒܪܬ ܡܢ ܐܢ̱ܬܝ *cujus filia es!* ܚܟܡܬܗ ܡܢ *cujus sapientia?* ܡܢ ܐܝܕܗ ܕܡܢ *e cujus manu?* reliqui casus per praepositiones indicantur.

Not. מַן ܡܢ cum nominibus utriusque generis et numeri jungitur.

§. 61. De usu Pronominis relativi.

1) Relativum דִּי (דְּ) ܕ, simpliciter nominativum aut accusativum exprimit, v. g. אֶהְיֶה דִּי אֶהְיֶא *ego sum, qui sum* (Exod. 3, 14), אֲתַר דִּי מַלֵּלִית לָךְ *locus, quem indicavi tibi*, ܐܢܫܐ ܕܓܒܠ *hominem, quem finxerat*; libenter tamen ambiguitatis evitandae causa accusativus adhuc per suffixum verbo annexum indicatur, v. g. דִּי תַּשְׁקְבִנֵּהּ *quem dispellit*, ܕܫܕܪܗ ܐܠܗܐ *quem Deus misit*; genitivus autem et dativus pron. relativi per pro-

nomen personale in nexu cum relativo (indeclinabili) periphrastice exprimuntur[1]) v. g. עַמָּא דִּי תִשְׁמַע לִישָּׁנֵהּ *populus cujus linguam non intelliges*, ܕܫܡܗ *cujus nomen*, אֲרַע דְּ... בַּהּ *terra, in qua*, ܕ... ܠܗ *cui*, ܕ... ܠܗܘܢ *quibus* etc.

Not. a. Nonnunquam praepositio una cum suffixo omittitur, praeprimis si jam cum nomine praecedente conjuncta est, v. g. בְּיוֹמָא דְּתֵיכְלוּן *die, quo comedetis*, ܟܠܗ ܙܒܢܐ ܕܗܘܝܬ *toto tempore, quo eram.*

Not. b. Imo et pron. relativum omittitur non tam crebro quidem, quam apud Hebraeos, praecipue si repetendum fuisset, v. g. Jes. 43, 7 (chald.) Ps. 32, 2 (syr.).

Not. c. Ubi relativum hebraicum post statum constructum omissum est, Aramaei non solum relativum, sed etiam מַן דְּ, ܡܢ ܕ ponunt, ut: בְּיַד מַן דְּכָשַׁר לְמִשְׁלַח et ܒܝܕ ܡܢ ܕܨܒܐ ܐܢܬ *per manus ejus, quem mittere lubet.*

• Not. d. Aramaeis non minus, quam Hebraeis licet 1. et 2. personis relativam injicere significationem, v. g. אֲנָא יוֹסֵף דִּזְבַנְתּוּן יָתִי et ܐܢܐ ܐܢܐ ܝܘܣܦ ܕܙܒܢܬܘܢܢܝ *ego sum Joseph, quem (me) vendidistis*, ܕܒܟ ܡܫܬܒܗܪ ܐܢܐ, *in quo (te) gloriabor.*

2) Ante relativum saepius pron. demonstrativum in sing. et plur. m. et f. omittitur, quod respiciendum est, praeprimis sicubi praepositio aut casus cujusdam nota cum relativo conjungitur, v. g. יַת דִּי תְּבָרֵךְ *(ille), quem benedicis*, ܘܝ ܕܡܫܩܐ ܠܚܒܪܗ *vae (ei), qui potum exhibet socio suo.* Interdum etiam notio loci et temporis omittitur, ut: מִן דְּאִיתֵי עֲלֵיהוֹן מָהָא Jes. 9, 13. ܡܢ ܕܐܝܩܪܬ ܐܢܬ *e quo tempore pretiosus es.*

3) Relativum adverbia sicuti et pronomina induit significatione relativa, v. g. אַרְעָא דִּי אִתְבְּרֵי מִתַּמָּן *terra, unde creatum est*, תַּמָּן ... דְּ ܬܡܢ... ܕ *ubi*, ܕܠܗܪܟܐ *quo* (ܠܗܪܟܐ *eo*), ܐܝܟܢܐ ܕ *quemadmodum* (ܐܝܟܢܐ *quomodo*?).

§. 62. De usu Pronominum reliquorum.

1) Pronomen reflexivum vario modo exprimitur: a) per formas verbi passivas (§. 23.); b) per suffixum 3. pers.

[1]) Cf. Gesenius Lehrgeb. §. 197.

v. g. ܥܡܗ עִמֵּיהּ *secum (pr. cum eo)*, קֳדָמוֹהִי *coram se*, בַּתְרֵיהוֹן ܠܒܣܬܪܗܘܢ *retrorsum*. Jud. 20, 40; c) per nonnulla substantiva, Orientalibus trita, ut: נְפַשׁ ܢܦܫܐ *anima*, גּוּף *corpus*, עֲצַם et גְּרַם *os*, קְנוּמָא ܩܢܘܡܐ *substantia* et מְעַיִן *viscera*, ܠܒܐ *cor*, raro per רֵאשׁ ܪܫܐ *caput*, רוּחַ ܪܘܚܐ *spiritus*, ܚܝܐ *vita*; hinc: טַר נַפְשָׁךְ *custodi te (animam tuam)*, ܒܩܢܘܡܗܘܢ ἐν ἑαυτοῖς (Rom. 1, 27), חֲיִכַת שָׂרָה בִּמְעָהָא ܘܓܚܟܬ ܣܪܐ ܒܠܒܗ̇ *et risit Sara secum* (Gen. 18, 12).

Not. **Reciprocum** exprimitur a) per suffixum cum praepositione quadam praemissum ipsi substantivo inprimis in genitivo posito, v. g. בַּהּ שַׁעֲתָא, ܒܗ̇ ܒܫܥܬܐ *eodem momento*, בַּהּ זִמְנָא *eodem tempore*, ܥܠܘ ܒܗ ܒܐܘܪܚܐ *ingressi sunt per eundem locum*, vel b) per pron. personalia repetita interposita particula ܕܝܢ, v. g. ܗܢܝܢ ܕܝܢ ܕܒܚܐ αἱ αὐταὶ θυσίαι, vel c) per compositionem pronominis demonstrat., ut: גַּבְרָא הַהוּא *ipse vir*, ܗܘ ܗܘ τὸ αὐτό.

2) Pronomen „**quisque**" exprimitur: a) si **substantive** et de **personis** ponitur, per גְּבַר ܓܒܪܐ *vir*, vel אֱנָשׁ ܐܢܫ *homo*: ܐܙܠ ܐܢܫ ܠܐܬܪܗ *abiit quisque in locum suum*, גְּבַר לְאַחְסַנְתֵּיהּ Jos. 24, 28, vel nominibus illis bis positis, v. g. אֲתוֹ . . . גְּבַר גְּבַר מֵעֲבִידְתֵּהּ *venerunt unusquisque ab opere suo*; b) si **adjectivi** munere fungens de personis et rebus adhibetur, per ܟܠ כָּל *omnis*, vel substantivis iteratis ut: עַמָּא עַמָּא, ܥܡ ܥܡ *populus quisque*. — **Quicunque** notatur per כָּל־מַן, ܟܠ ܡܢ (ܟܠܡܢ), ܟܠ ܐܢܫ (ܟܠܢܫ), ܟܠ ܡܐ et **quodcunque** per כָּל־מָה, ܟܠ ܡܐ (ܟܠܡܐ), ܟܠܡܕܡ.

3) „**Aliquis**" indicatur per אֱנָשׁ ܐܢܫ et גְּבַר ܓܒܪܐ, nonnunquam et per מַן ܡܢ; **aliquid** per פִּתְגָּמָא ܡܕܡ (= heb. דָּבָר) ܨܒܘܬܐ *res*, ܡܕܡ. Interdum haec notio omnino (elliptice) omittitur, praecipue ante particulam מִן ܡܢ, v. g. רַגְלוֹהִי מִנְּהוֹן דִּי פַרְזֶל et ܪܓܠܘܗܝ ܡܢܗܝܢ ܕܦܪܙܠܐ *(quod) pedes ejus (attinet), (aliquid) eorum erat ferreum* (Dan. 2, 23.), ܐܢ ܡܢܗܘܢ *si (nonnulli) ex eis*; in Syriaco libentur et per ܐܝܬ ܕ (= rabb. יֵשׁ דְּ) exprimitur.

4) „**Nullus**" nonnisi negatione apposita a pronomine modo commemorato differt, hinc כֹּל...לָא vel כֹּל לָא vel אֱנָשׁ לָא vel לָא־חַד,

ܐܢܫ ܠܐ vel ܠܐ ܐܢܫ, ܚܕ ܠܐ vel ܟܠ ܠܐ vel ܡܕܡ ܠܐ; imo simpliciter per לָא, ܠܐ aut לֵית (לָיִת), ܠܝܬ exprimitur, ut: לִי לָא יְהַבְתְּ יְלַד *mihi nullum infantem dedisti,* ܠܝܬ ܢܒܝܐ *nullus propheta.* Neutrum „n i h i l" significatur per לָא···מִדַּעַם vel לָא···מֵידֵי, ܠܐ..ܡܕܡ vel ܠܐ...ܡܕܡ.

5) „A l t e r . . a l t e r" exprimitur a) pronomine demonstrativo vel חַד ܚܕ numerali repetito, v. g. מְקַבְּלִין דֵּין מִן דֵּין *clamabant alter ad alterum,* חַד לְוַת חַד Ezech. 37, 17. ܚܕܐ ܠܚܕܐ *altera ad alteram;* b) voce repetita גְּבַר ܓܒܪ vel conjuncta cum אַח ܐܚܐ *frater,* aut cum חֲבֵר ܚܒܪܐ *socius* (fem. ܐܢܬܬܐ et ܚܒܪܬܐ), v. g. קְרִיבוּ גַּרְמַיָּא גַּרְמָא לְוַת חַבְרֵיהּ *accesserunt ossa, unum ad alterum* (Ezech. 37, 7.), ܚܕ ܡܢ ܐܚܘܗܝ *unus ab altero,* vel חֲבֵר conjuncto cum חַד.

II. CAPUT.

De Verbo.

Aramaeorum tempora Praeteritum et Futurum Hebraeorum instar fixae et definitae significationi minime adstricta, sed etiam reliquis temporum modis et formis significandis sunt apta.

§. 63. De usu Praeteriti.

Praeteritum vulgare denotat:

1) Tempus prorsus p e r f e c t u m e t a b s o l u t u m; cum Aramaeis Vau conversivum ignotum sit, etiam temporis h i s t o r i c i vice fungitur, v. g. וּבָרִיךְ יְיָ יַת נֹחַ, ܘܒܪܟ ܐܠܗܐ ܠܢܘܚ (heb. וַיְבָרֶךְ) *et benedixit Deus Noae.* In enunciationibus subordinatis pro p l u s q u a m p e r f e c t o ponitur, v. g. עֲבִדְתֵּיהּ, דִּי עֲבַד, ܥܒܕܘܗܝ ܕܥܒܕ *opera sua, quae fecerat* Gen. 2, 2., hinc et I m p e r f e c t u m praeprimis in verbo הֲוָה ܗܘܐ idque in sermonibus tum affirmantibus, tum negantibus, ubi cum participio aut adjectivo conjunctum legitur et in enunciationibus

indirectis et hypotheticis (quamvis hoc sensu futurum saepius adhibetur) qua Conjunctivus seu Optativus temporis praeteriti concipi debet, v. g. לְוַי דְּמִיתְנָא, ܐܠܘܗܝ ܡܝܬܝܢ *utinam mortui essemus!* Num. 14, 2. כְּיָתְבֵי עֲמוֹרָה אִשְׁתֵּיצֵנָא *sicut incolae Gomorrhae periissemus* Jes. 11, 9., ܘܠܘ ܠܐ ܡܪܝܐ...ܐܘܬܪ ܠܢ *nisi Dominus reliquisset nobis* Jes. 1, 9.

2) Tempus Praesens indicat, praecipue a) in verbis, quae *qualitatem, conditionem* vel *statum* significant, v. g. ܠܡܢܐ ܐܬܚܡܬ ܘܠܡܢܐ ܐܬܟܡܪܘ ܐܦܝܟ *cur irasceris et cur moesta est facies tua*? Gen. 4, 6; b) in sententiis a certa temporis definitione alienis, quae notionem *consuetudinis morisque* includunt, v. g. יְיָ מִשְּׁמַיָּא אוֹדִיק, ܡܪܝܐ ܐܕܩ *Dominus prospicit de coelo*, Ps. 14, 2.

3) Tempus Futurum in Syriaco et quidem in sermonibus propheticis, asseverationibus, ast multo rarius, quam in Hebraico, v. g. ܢܚܙܘܢ ܢܘܗܪܐ ܪܒܐ *videbunt lumen magnum* Jes. 9, 1. Praeteritum propheticum Targumistae ubique per futurum expresserunt.

Not. In versionibus V. T. syriaca et chaldaica praeteritum propheticum cum futuro plerumque commutatur.

4) Tandem ponitur pro Infinitivo post praet. verborum *veniendi, eundi, mittendi* etc. et quidem sine copula, v. g. ܐܬܘ ܢܚܘܕܪܘܢ ܠܗ ܠܐܢܛܝܘܟܝܐ *venerunt obsidere Antiochiam.* Bar-Heb. Chron.

§. 64. De usu Futuri.

Futurum ponitur:

1) pro Futuro absoluto et Indicativo.

2) pro Praesente nec tamen tam crebro, quam in Hebraico, plerumque in hunc finem in utraque dialecto participium usurpatur.

Not. Rarissime in Syriaco Praeteriti vicibus fungitur et fere nonnisi cum particulis praeteriti significationem continentibus ܩܕܡ ܕ, ܥܕܠܐ *antequam*, junctum, v. g. ܥܕܠܐ ܐܨܘܪܟ *antequam te finxeram*

Jerem. 1, 5; in Chaldaico his in locis participium aut praeteritum est positum: עַד לָא בְּרֵיתָךְ.

3) pro cognatis temporum modis iisque a) Optativo, ut: יְהוֹבַד יוֹמָא *pereat dies!* Job. 3, 3, ܬܬܡܠܐ ܒܝܫܬܐ *compleatur malum!* b) pro Imperativo post Imperativum, v. g. אַפֵּיק יַת בְּרָךְ וְיִתְקְטֵל Jud. 6, 30; similit. Ezech. 37, 12. ܬܘ ܘܬܚܙܘܢ *venite et videte* et praeprimis in dehortationibus ac prohibitionibus, ut: אַל תִּתֵּן *ne des,* לָא תִּדְחַל, ܠܐ ܬܕܚܠ *ne timeas* Exod. 20, 13-17. c) pro Germanorum formulis loquendi verbo auxiliari quodam (*mögen, dürfen, können, sollen*) effectis, ut: ניכול ܢܐܟܘܠ *licet nobis edere?* Gen. 3, 2; אֲנָא לָא אֲחוּס עַל נִינְוֵה *nonne ego parcerem Ninive?* ܡܢܘ ܢܐܡܪ *quis dicat?* d) pro Conjunctivo post 1) particulas Latinorum *ut, ita ut, ne* consentaneas; hinc α) praecedente ܕ , ד, ut: דִּלְמָא תְּמוּתוּן *ne moriamini,* ܕܠܐ ܢܣܬܟܠܘܢ *ne intelligant*; β) praecedente ו ܘ *ut,* v. g. וְיָחֹגּוּן *ut festum agant* Exod. 5, 1. ܘܢܕܥܘܢ *ut cognoscant,* ܘܢܦܨܝܟܘܢ *ut eripiat vos*; γ) post particulas hypotheticas, v. g. אִין יִסְרַח גְּבַר חַבְרֵיהּ וְיָרֵשׁ 2. Chron. 6, 22, 24, 26; ܡܐ ܕܚܛܘ ܩܕܡܝܟ *cum peccaverint coram te* 1. Reg. 8, 33—34; δ) denique et in sententiis hypotheticis sine particulis introductis, ut: אֶתְנְגִיד וְעֵינָא לָא תִסְכְּבַנִּי *mortuus essem et oculus me non vidisset* Job. 10, 18; ܒܪܡ ܐܢܐ ܐܬܒܥܐ ܠܘܬ ܐܠܗܐ *verumtamen ego Deum adirem* Job. 5, 8.

4) pro Futuro exacto, v. g. אֲרוּם יִשְׁלְמוּן יוֹמָיךְ, ܡܐ ܢܫܬܠܡܘܢ ܝܘܡܝ ܚܝܝܟ *si consummati fuerint dies vitae tuae* 1. Chron. 17, 11.

§. 65. De Periphrasi quorumdam temporum finitorum.

Praeter modum jam indicatum quaedam tempora periphrastice exprimuntur et quidem:

1) Praesens per participium verbi cum vel etiam sine pronomine personali (cf. §. 67. 1. A.), v. g. דָּחִיל אֲנָא *timeo*

Gen. 32, 11. אַתְּ שָׁאֵל Gen. 23, 29; ܡܗܝܡܢܐ ܐܢܬ ܠܗܕܐ *credisne hoc?* ܐܡܪ ܠܗ ܝܫܘܥ *dicit ei Jesus* Joh. 11, 23, 26.

2) Imperfectum et Plusquamperfectum plerumque circumscribuntur per praeteritum verbi junctum cum praeterito verbi substantivi praecipue in enunciationibus secundariis (relativis), v. g. יְדַע אֶת־חַוָּה דַּהֲוָא חֲמִידַת *cognovit Evam, quae cupiebat,* Gen. 4, 1 Jon. הֲוָא נְפַק *exierat* Cant. 1, 12., ܢܛܪ ܗܘܝܬ *custodiebat* Joh. 17, 12. ܐܬܐ ܗܘܐ *venerat* Joh. 11, 30.

3) Futurum nonnunquam circumscribitur per עֲתִיד, ܥܬܝܕ (*paratus* = μέλλων) a) sequente infinitivo verbi, v. g. עֲתִיד יְיָ לְאִתְפְּרַע *Jehova puniturus est* Nah. 1, 2. ܥܬܝܕ ܠܡܐܬܐ *qui venturus est* Math. 11, 14; vel b) sequente verbo finito cum דְ, ܕ, v. g. עֲתִידִין דִּי תִשְׁמְעוּן *audituri estis* Dan. 3, 15. ܥܬܝܕ ܟܗܢܐ ܕܢܫܪܐ *sacerdos incepturus est.*

Not. a. Nonnunquam דְ, ܕ omittitur.

Not. b. De periphrasi futuri per participium cum verbo substantivo vide §. 67 et de periphrasi temporum verbi substantivi confer §. 41.

§. 66. De usu Imperativi et Infinitivi.

1) Aramaei saepe conjungunt duos Imperativos, quorum prior hypothesim, id vero, quod inde sequitur, posterior indicat, v. g. אִתְקַפוּ וְאִתְּבָרוּ, ܐܬܚܝܠܘ ܘܐܬܬܒܪܘ *confortamini, tamen frangemini* Jes. 8, 9. Saepius tamen Imp. cum futuro hoc sensu conjunctus invenitur. Nonnunquam imperativus, qui futurum excipit, hujus temporis significationem sibi vindicat, v. g. אֶיתֵּן לְכוֹן...וְאִכְלוּ, ܐܬܠ ܠܟܘܢ...ܘܐܟܘܠܘ *dabo vobis...et comedetis* Gen. 45, 18. Raro etiam imperativus futuro praemittitur eodem sensu Jes. 6, 9.

2) Imperativo non solum mandatum, sed et exhortatio, admonitio et permissio significatur, v. g. ܢܐܙܠ ܠܘܬܗ Joh. 11, 15. Amant Aramaei hoc sensu imperativum verbi ܐܬܐ futuro verbi finiti sine copula apponere, v. g. וּכְעַן

ܘܗܫܐ ܬܐ ܢܩܝܡ ܩܝܡܐ, אֲתָא נִגְזַר קְיָם *et nunc foedus ineamus* Gen. 31, 44; ܢܐܙܠ ܬܘ ἄγωμεν Joh. 11, 7.

3) Quamquam Aramaei diversâ formâ **Infinitivum** absolutum et constructum non distinguunt, praeposito tamen ל ܠ infinitivum constructum secernunt ab infinitivo absolute posito. Hunc **absolutum** nonnisi **adverbialiter** usurpant ad emphasim exprimendam; infinitivus ergo cum verbo finito conjunctus significat:

a) notionis, quae verbo inest, **intensionem**, v. g. בָּרָכָא אֲבָרְכִינָּךְ, ܡܒܪܟܘ ܐܒܪܟܟ *benedicendo* (i. e. *quam maxime*) *benedicam tibi* Gen. 22, 17.

b) **asseverationem** et rem aliquam **certam ac fixam**, v. g. מֵימַת תְּמוּת Gen. 2, 17. ܠܐ ܡܡܬ ܬܡܘܬܘܢ Gen. 3, 4. ܡܥܠ ܠܐ ܥܠ ܕܝܢ *nequaquam introiit*;

c) non raro **alias** sermonis **proprietates** easque valde varias, v. g. הֲמִדַּע הֲוֵינָא יָדְעִין, ܡܕܥ ܝܕܥܝܢ ܗܘܝܢ *num scire poteramus?* Gen. 43, 7. ܡܬܝܗܒܘ ܝܗܝܒ *mutuo datum erat.*

Not. Peschito N. T. hoc loquendi modo saepius pro simplici verbo graeco utitur; nonnunquam infinitivi loco nomen eâdem ac verbum finitum stirpe oriundum ponitur, v. g. ܡܘܬܐ ܬܡܘܬ *certo morieris* Gen. 2, 17.

4. **Infinitivus constructus** seu cum particula ל ܠ ornatus ponitur:

a) post verba, quae *consilium, voluntatem, potestatem, facultatem* aut *mandatum* indicant, v. g. בְּעָא לְמִקְטַל *quaerebat interficere,* אֲמַר לְכַפָּתָה *jussit, ut ligaret* Dan. 3, 20. ܫܪܝ ܝܫܘܥ ܠܡܟܪܙܘ *incepit Jesus praedicare* Math. 4, 17. ܘܨܒܐ ܗܘܐ ܠܡܩܛܠܗ *et volebat eum occidere*;

b) nonnunquam post nomen, v. g. לָא עִידָן לְמִכְנַשׁ, ܠܐ ܗܘܐ ܙܒܢܐ ܠܡܟܢܫܘ *non est tempus colligendi* Gen. 29, 7. — quo in casu particula saepe desideratur.

Not. Infinitivus cum ל ܠ post verbum אִית, לֵית (לָא), ܗܘܐ, ܠܝܬ (ܠܐ) periphrasin futuri nonnunquam efficit et verti debet per (*non*)

licet, (*non*) *potest* simulque in sensu passivo, v. g. כְּתָבָא דִי לָא לְהַשְׁנָיָה *scriptura, quae mutanda non est*, ܠܗܿܘ ܠܡܕܡ ܠܡܬܘܣܦܘ *ei rei non potest aliquid addi.*

5. Infinitivus cum praepositionibus constructus (Hebraeorum) apud Aramaeos raro invenitur, qui potius verbum finitum cum particulis ponere praeferebant; confer tamen כְּמֵיתִי לְוַת עַבְדָּךְ *cum venio ad servum tuum* Gen. 44, 30. עַד מֵיתָאִי *donec veniam* Jud. 6, 18. מִלְּמֶחֱזֵי *ne videret* Gen. 27, 1. Syri tamen hos infinitivos cum aliis particulis (ܡܢ ,ܕ) nonnisi ܠ addito conjungunt, v. g. ܫܠܘ ܡܢ ܕܠܡܒܢܝܘܬܗ̇ ܡܕܝܢܬܐ *cessarunt urbem aedificare.*

Not. Infinitivos suffixis auctos vices nominum gerentes Aramaei non aspernantur, ut בְּיוֹם מִפְּקָךְ *die exitus tui*, כְּמִצְבְּיֵהּ *secundum voluntatem ejus*, quae suffixa non solum subjective, sed et objective sunt sumenda, v. g. לְשֵׁיזָבוּתָךְ *ad salutem tuam* i. e. *ut salveris*, ܠܡܬܩܕܫܘܬܗ *ut sanctus reddatur.*

6) Infinitivus, qui in loquendi formulis aliae linguae a verbo finito dependet, exprimi potest:

a) per Futurum cum praefixo דְ ,ܕ, v. g. ܕܚܠ ܕܢܐܙܠ *timuit abire* (conf. §. 64. 3. d.).

b) per Infinitivum constructum cum ܠ ל cf. supra §. 66, 4.

c) per Participium, et quidem α) absolute post verba *incipiendi, continuandi, permittendi* etc. v. g. Job 1, 13, Dan. 2, 5. ܫܒܘܩܘܗܝ ܐܙܠ Joh. 11, 44 *et sinite eum abire*; ܫܪܝܘ ܐܟܠܝܢ *coeperunt comedere* Math. 12, 1, aut β) cum ܕ conjunctum, v. g. ܫܠܝܘ ܡܢ ܕܡܚܝܢ ܗܘܘ ܠܦܘܠܘܣ *cessabant Paulum percutere.* Act. 21, 32.

d) saepe per utrumque verbum (regens et rectum) numero, persona et genere iisdem ἀσυνδέτως aut copula interjecta positum, v. g. אֲרֵי לָא יוֹסְפוּן וְיֶעְדּוּן בִּיךְ *quia non amplius pertransibunt in te* Jes. 52, 1. ܐܘܣܦ ܘܫܕܪ *et adhuc mittebat* (*addidit mittere*), ܐܙܠ ܐܚܢܩ Math. 27, 3, 5. (conf. §. 63. 4. et §. 71.)

§. 67. De usu Participii.

1) Participia omnium temporum significationem induere possunt, et quidem designant:

A. Praesens in nexu cum pronomine separato (cf. §. 65. 1.), v. g. דָּחִיל אֲנָא *timeo*, יָדַע אֲנָא *scio*; in 3. person. nonnunquam pronomen omittitur, v. g. ܐܳܡܰܪ ܠܶܗ *dicit ei.*

Not. Nonnunquam loco pronominis voces אִית et לֵית, ܐܺܝܬ et ܠܰܝܬ cum suffixis et cum participio junguntur ad praesens significandum (cf. §. 41.), v. g. לֵית אֲנָא יָכִיל *non sum potens*, אִם אִיתָךְ פָּרִיק *si salvas* Jud. 6, 36, ܫܳܘܶܐ ܐܺܝܬܰܝܟ *dignus es.* Chaldaei etiam v. subst. adhibent, ut: הֲווֹ יָתְבִין *habitant* Exod. 15, 14.

B. Praeteritum, et quidem: a) Imperfectum idque α) in nexu cum הֲוָה ܗܘܳܐ, v. g. חָזֵה הֲוֵיתָ *videbas*, ܪܳܚܶܡ ܗ݇ܘܳܐ *diligebat* Joan. 11, 5. Si jam praecedit verbum substant. in verbo priori, in sequenti copulâ juncto saepe omittitur; nonnunquam particula כַּד ܟܰܕ apponitur, ut: כַּד הֲוֵינָא שָׁרַן *habitabamus*, ܗܘܰܘ ܟܰܕ ܡܬ݂ܟܰܬ݂ܫܺܝܢ *pugnabant*; β) simpliciter sine verbo substant. praeprimis in enunciationibus relativis, v. g. ܕܟܪܺܝܗ *qui aegrotus erat* Joh. 11, 1. b) Perfectum v. g. נָסְבֵי בְנָתֵיהּ, ܢܣܰܒ݂ܘ ܒܢܳܬ݂ܶܗ *qui filias ejus duxerunt* Gen. 19, 14. ܢܦܺܝܠ ... ܘܡܺܝܬ *prostratus ac mortuus* 1. Sam. 5, 3.

C. Futurum et quidem aut a) simpliciter posita, v. g. ܩܳܐܶܡ ܐܰܚܽܘܟ݂ *surget frater tuus* Joann. 11, 23; aut b) cum pronomine juncta, v. g. דָאֵן אֲנָא *judicabo*, מְחַבְּלִין אֲנַחְנָא, ܡܚܰܒ݁ܠܺܝܢܰܢ *diruemus* Gen. 19, 13. ܫܳܪܶܐ ܐ݈ܢܳܐ *dissolvam* Jerem. 28, 16; aut c) cum futuro verbi subst. chaldaici nexa, v. g. יְהֵי נָפֵק וּמַשְׁקֵי *exibit et potabit* Joel 3, 18.

Not. Haec significatio praecipue inest sermonibus propheticis *consilium* et *finem* indicantibus, qui saepe a particula הָא ܗܳܐ *ecce* incipiunt, v. g. הָא־אֲנָא מַפֵּישׁ לָךְ וּמַסְגֵּי לָךְ *ecce ego extendam et multiplicabo te* Gen. 48, 4. ܘܶܐܢܳܐ ܗܳܐ ܡܰܝܬܶܐ ܐ݈ܢܳܐ ܛܰܘܦܳܢܳܐ *et ego ecce adducam inundationem* Gen. 6, 17.

2) Participia etiam diversos temporum **modos** indicare solent et quidem:

A. **Conjunctivum** v. g. לָא קָרְאָן תֶּהֶוְיָן *ne vocetis*, Ruth 1, 20; ܐܠܘ ܕܒܪ ܐܢܐ ܠܗܘܢ ܡܐܬ ܗܘܐ ܟܠܗ ܥܢܐ *si eos propellerem, moreretur omnis grex*, ܐܡܪ ܗܘܝܬ *dixissem*.

B. **Optativum** בְּרִיכָה אַנְתְּ *sis benedicta* Ruth 3, 10. ܐܠܘ ܗܘܝܬܘܢ ܡܣܝܒܪܝܢ ܠܝ *utinam me feratis!* 2. Cor. 11, 1.

C. **Infinitivum** post verba *incipiendi*, *permittendi* etc. (cf. §. 66, 6, c.), v. g. ܫܪܝ ܩܥܐ *coepit clamare*, libenter tamen cum ܕ conjuncta, v. g. ܚܙܐ ܕܥܒܕ ܐܒܐ Joh. 5, 19.

D. et **Imperativum**, cui vero praemitti solet verbum substantivum, v. g. וַהֲווֹ חָזֵין Dan. 7, 2. ܗܘܘ ܐܬܝܢ *venite!*

Not. Participium absolutum libenter particulam ܟܕ כַּד vel ܕ דְּ assumit, quamvis et nude occurrit, v. g. וְהָא דִּיכְרָא אֲחַד בְּאִילָנָא Gen. 22, 13. ܟܕ ܡܘܕܝܢ ܚܛܗܝܗܘܢ *peccata sua confitentes* Math. 3, 6. ܚܙܐ ܠܠܘܝ ... ܕܝܬܒ *vidit Levi sedentem* Marc. 2, 14.

3. Participia **passiva** in hoc usu plane activa sequuntur, nonnunquam illa participiis futur. passiv. Latinorum respondent, v. g. דְּחִיל ܕܚܝܠ, *metuendus*, ܣܓܝܕܐ *adorandus*. Syri praeterea participio Peil speciali modo utuntur, ut: ܫܒܝܩ ܠܝ ܟܠ *relicta sunt mihi omnia* (pro: *omnia reliqui*), ܟܦܝܪ ܒܟ *negatum in te* (pro: *abnego te*).

4. Quoad **structuram** participia activa et passiva, si nomen regunt, habentur aut ut A. **nomina**, aut B. ut **verba**.

A. Si ut **nomina** habentur, in statu constructo ponuntur (§. 74.), aut nomen definiens assumit notam genitivi דְּ ܕ, v. g. יָתְבֵי אַרְעָא *inhabitantes terram*, נָפְקֵי תְּרַע, ܥܠܠܝ ܬܪܥܐ *portam intrantes*, אֲכִילֵי עוֹף *devorati a volucribus*, דַּחֲלָא דַּיְיָ *Deum timens*, ܡܨܠܚܐ ܕܡܪܝܐ *a Deo prosperatus* Gen. 26, 29.

Not. Interdum status constructus etiam ante particulas retinetur, v. g. ܟܦܘܪܝ ܒܐܠܗܐ *Deum abnegantes.*

B. Si vero ut verba habentur, eodem utuntur casu aut eadem particula, ac verbum ipsum finitum, a quo originem trahunt, v. g. פְּרִשָׂן גַּדְפֵּיהוֹן, ܦܪܝܣܝܢ ܓܦܝܗܘܢ *alas suas extendentes* Exod. 25, 20. ܡܣܒܪܝܢ ܒܟ *in te sperantes,* לְבִישִׁין לְבוּשִׁין *vestibus induti,* ܠܒܝܫ ܒܘܨܐ *bysso indutus.*

Not. Si participia Adjectivorum locum tenent, in numero et genere cum subjecto suo conveniunt, objectum autem verbi finiti instar sibi subjungunt in casu conveniente seu cum praepositione, quacum verbum finitum construitur, v. g. ܡܒܪܟ ܠܡܪܝܐ *benedictus domino,* ܡܢ ܕܡܗܝܡܢ ܒܝ Joh. 11, 25, plerumque tamen et genitivus objecti adhibetur, ut Gen. 19, 14 (supra) et ܝܠܝܕ ܐܢܬܬܐ *natus de muliere* Job. 14, 1.

§. 68. De Optativo.

Optativus collatis praecedentibus exprimi potest per Futurum (§. 64. 3. a.) et quidem:

a) interrogationibus optato votoque notando inservientibus, v. g. מַן יְמַסַּר יַת עַמָּא, ܡܢ ܢܬܠ ܐܫܠܡܝܗ ܠܥܡܐ ܗܢܐ ܒܐܝܕܝ *utinam reddat* (pr. *quis reddet*) *quis hunc populum mihi!* Jud. 9, 29; similiter 2. Sam. 15, 4. Interdum ex imitatione formulae hebraicae מִי יִתֵּן adhibetur verbum נְתַן in Chaldaico, et ܢܬܠ vel ܠܘܝ vel ܝܗܒ in Syriaco, v. g. מַן יִתֵּן צַפְרָא *utinam vesperum esset!* Deut. 28, 67. ܡܢ ܢܬܠܟ ܐܚܐ ܠܝ *o si esses frater meus!* Cant. 8, 1.

b) particulis לְוַי, ܠܘܝ, ܐܠܘܦ *utinam,* praecipue α) sequente futuro, v. g. לְוַי יִתְקַיַּם קֳדָמָךְ, ܐܠܘܦ... ܢܚܐ *utinam vivat coram te!* Gen. 17, 18. aut β) sequente praeterito (§. 63. 1.). Etiam particulae hypotheticae usurpari possunt, ut: ܠܘ ܥܡܝ ܡܫܬܡܥ *utinam populus meus mihi obtemperaret!* aut γ) sequente participio (§. 67. 2. B.).

c) Eundem in finem verba *optandi* sequente particula ܕ adhibentur, v. g. לְוַי דְמִיתְנָא, ܨܒܝܢ ܗܘܝܢ ܕܢܡܘܬ *utinam* (*cupimus, ut*) *mortui essemus!* Exod. 16, 3.

Not. Ubi verbum subst. optativo modo esset ponendum, non raro omittitur, v. g. ܬܫܒܘܚܬܐ ܠܐܠܗܐ *Laus sit Deo!* Luc. 2, 14.

§. 69. De constructione verborum cum diversis casibus.

Quemnam casum singula verba regant quasve praepositiones, docent Lexica. Verbis transitivis accusativus objecti accidit aut particulâ ל, יָת, ܠ, instructus aut nudus.

A. Accusativum regunt

1) Verba transitiva nec non intransitiva, quae tamen significationem transitivam involvunt, dein verba, quae in aliis linguis cum diversis casibus construuntur, ut: אֲתִיב (Jud. 8, 8), ܐܰܦܶܢ (Luc. 23, 9), ܥܢܳܐ *respondit* 1. Sam. 9, 8, הֲמֵין Jud. 11, 20, ܗܰܝܡܶܢ Math. 21, 32 *credidit,* שַׁמֵּשׁ Gen. 49, 4. ܫܰܡܶܫ et ܫܰܡܫܳܟ Math. 25, 44 *servivit,* בַּסַּר 2. Sam. 18, 19, ܣܰܒܰܪ Act. 16, 10 *nuntiavit,* עֲרַע Gen. 42, 29 *accidit* etc.

2) Sunt classes verborum omnino accusativum postulantes, ad quas pertinent:

a) verba *induendi, exuendi, ornandi*;

b) verba *copiae* et *inopiae*: מְלָא ܡܠܳܐ *plenus fuit,* סְבַע et שְׂבַע ܣܒܰܥ *satiatus est,* חֲסַר ܣܢܺܩ *eguit* (nonnunquam tamen et cum בְּ ܡܢ construuntur);

c) verba *eundi* et *veniendi* ad et in locum, ut: אֲתָא ܐܶܙܰܠ etc., quae et libenter cum praepositionibus construuntur.

3) Neutra quaedam cum accusativo nominis conjunguntur et quidem ejusdem originis vel cognatae significationis, v. g. מַלֵּל מִלָּא *verbum locutus est,* ܐܰܡܬܶܠ ܡܰܬܠܳܐ *parabolam proposuit,* ܫܰܡܶܗ ܫܡܳܐ *nomen imposuit.*

B. Duplicem Accusativum regunt:

1) Formae Paël, Aphel et Schaphel verborum in Peal accusativum regentium, praesertim vero,

a) eorum, quae *induendi, exuendi* aut *ornandi* notionem exhibent, v. g. אַשְׁלַח יַת־אַהֲרֹן יַת לְבוּשׁוֹהִי, ܐܰܫܠܰܚ ܠܰܐܗܪܘܢ ܢܰܚܬܰܘܗܝ *Aaroni vestes ejus exui jussit* Num. 20, 26.

b) eorum, quae *implere, satiare* etc. significant, v. g. ܠܡܣܟܝܢܘܗܝ ܐܣܒܥ ܠܚܡܐ *pauperes ejus saturabo pane* Ps. 133, 15.

c) verborum *docendi, monstrandi* etc. v. g. נְהוֹדַע יָתְכוֹן פִּתְגָּמָא, ܢܘܕܥܟܘܢ ܦܬܓܡܐ *docebimus vos rem* 1. Sam. 14, 12. אַחֲזִינוּן יָת כָּל בֵּית גְּנָזוֹהִי *monstravit eis gazophylaceum suum* 2. Reg. 20, 13. ܚܘܢ ܐܒܐ *monstra nobis patrem.*

2) Verba, quae in forma Peal **c a u s a t i v a** jam significatione utuntur, ex quo genere sunt:

a) verba *tegendi, vestiendi,* v. g. יָת דַּפַּיָּא חֲפָא דַּהֲבָא *tabulas obduxit auro* Exod. 36, 34. ܐܣܪ ܐܢܘܢ ܗܡܝܢܐ *accinxit eos baltheis*; ita et וּזְרַע ܙܪܥ *seminavit* Lev. 19, 19, מְשַׁח ܡܫܚ *unxit* Ps. 45, 8.

b) verba *implendi, saturandi* (quae et cum בְּ ܒ et ܥܠ construi possunt), v. g. אֲשַׂבַּע עַמִּי יָת טוּבִי *saturabo populum meum bonis meis* Jerem. 31, 14. ܡܠܝܬ ܐܢܘܢ ܪܘܚܐ ܕܚܟܡܬܐ *instruxi eos spiritu sapientiae.*

c) verba *praestandi, rependendi* (ποιεῖν τινά τι), v. g. יָת דִּי פְלַחְתָּךְ, ܕܦܠܚܬܟ *quod tibi praestiterim* Gen. 30, 29. גְּמַלְתַּנִי טָבְתָא, ܦܪܥܬܢܝ ܛܒܬܐ *bonum rependisti mihi* 1. Sam. 24, 18.

d) verba *quaerendi, mandandi* et similia, v. g. דִּי תִּשְׁאֲלִנָּךְ נַפְשָׁךְ *quod quaerit a te anima tua* Deut. 14, 26, ܫܐܠܘܢ ܡܠܐ *quaesierunt e nobis verba* Ps. 136, 3. כֹּל דְּשַׁלְחֵיהּ יוֹאָב *omne quod ipsi jusserat Joab* 2. Sam. 11, 22. ܟܠ ܕܦܩܕܗ Gen. 6. 22.

e) verba *permutandi, reddendi aliquid ad aliquid,* v. g. תַּעְבֵד יָתֵיהּ מְשַׁח. ܥܒܕܝܗܝ ܡܫܚܐ *fac ex eo unguentum* Exod. 30, 25. לְאַב יְהַבְתָּךְ, ܐܒܐ.. ܥܒܕܬܟ *patrem te feci* Gen. 17, 5.

f) verba *nominandi, invocandi,* v. g. ܩܪܐ ܐܢܘܢ ܠܣܗܕܘܬܐ *invocavit eos in testimonium (testes).*

N o t. Si verba haec passive vertuntur, accusativus (rei) immutatus manet, v. g. לְבִישִׁין לְבוּשִׁין, ܠܒܝܫܝܢ ܠܒܘܫܐ *vestiti vestibus* 1. Reg. 22, 10. ܡܚܦܝܢ ܕܗܒܐ *auro obductae.*

§. 70. De constructione verborum cum praepositionibus.

1) Cum praepositione בְּ ܒ construuntur:

a) verba *comprehendendi, tenendi* חֲזַק, סְבַר ܢܩܰܫ *pulsavit* Prov. 4, 13.

b) plura verba *sensuum* et *fruendi*, v. g. לָא אֶחֱזֵי בְּמוֹתָא דְּרַבְיָא, ܠܳܐ ܐܶܚܙܶܐ ܒܡܰܘܬܶܗ ܕܛܰܠܝܳܐ *non intueri possum mortem pueri* Gen. 21, 16; ita verba *audiendi, exaudiendi, laetandi, comedendi* etc.

c) verba *eundi* et *veniendi* cum בְּ ܒ *afferendi* notionem induunt, v. g. אֲתָא cum בְּ et ܐܶܬܳܐ cum ܒ *venire cum aliquo* i. e. *afferre aliquid.*

d) verba *invocandi* et *adorandi*, v. g. לְצַלָּאָה בִּשְׁמָא דַייָ, ܠܡܶܩܪܳܐ ܒܫܡܶܗ ܕܡܳܪܝܳܐ *nomen domini invocare* Gen. 4, 26; ita et *jurandi*, ut: ܡܰܘܡܶܐ ܐ̱ܢܳܐ ܠܳܟ ܒܰܐܠܳܗܳܐ *adjuro te per Deum.*

e) verba *dominandi*, v. g. לְמִשְׁלַט בְּהוֹן, *ut dominentur eis* Joel 2, 17; ܘܰܐܫܠܶܛܬܳܝܗܝ ܒܥܒ̈ܳܕܶܐ Ps. 8, 7; dein verba, quae actionem pro vel contra aliquem indicant, uti *nocendi, respiciendi, testandi, consolandi* et ejusmodi.

Not. בְּ ܒ etiam *vas* indicat, *e quo bibitur*, v. g. דְּשָׁתֵי רִבּוֹנִי בֵּהּ, ܕܢܶܫܬܶܐ ܒܗܽܘܢ ܡܳܪܝ *e quo dominus meus bibit* Dan. 5, 2; (conf. *in auro bibere* et in vernacula: *auf Silber speisen*), et *instrumentum*, *quo aliquid fit*, v. g. יִתְקְטֵל בְּחַרְבָּא *gladio occidetur* Jerem. 38, 2.

f) tandem nonnulla alia verba, ut: פְּלַח בְּאַרְעָא Gen. 4, 2; ܠܡܶܦܠܰܚ ܐܰܪܥܳܐ *terram colere* Gen. 2, 5; ܕܠܳܐ ܠܶܐܝܬ ܒܶܗ *quam non laborasti* Jon. 4, 10.

2) Praepositio לְ ܠ (tanquam nota dativi) praecipue solet conjungi cum a) verbis, quae *fieri*, *transmutari* in aliquid denotant; b) cum verbis *donandi, dandi, permittendi, placendi* et *assimilandi, consulendi* et *osculandi*, v. g. אִתֵּן יַת יְרוּשְׁלֶם לְיִגְרִין Jerem. 9, 11; ܠܡܳܢܳܐ ܕܳܡܝܳܐ ܡܰܠܟܘܬܳܐ ܕܰܐܠܳܗܳܐ Luc. 13, 18; c) cum verbo substantivo vel cum אִית ܐܺܝܬ ad notionem *ha-*

bendi exprimendam, v. g. ܐܒܐ ܐܝܬ ܠܢ ܐܒܪܗܡ *pater nobis est Abraham* Math. 3, 9; יְהֵי לָךְ לִמְתוּרְגְּמָן Exod. 4, 16 *erit tibi interpres;* ܕܢܗܘܐ ܠܝ ܦܐܪܐ *ut habeam fructum* Rom. 1, 13 et d) in formis passivis *causam efficientem* sive *agentem* indicat, v. g. אֶשְׁתְּאַל לְהוֹן *ab iis interrogatus sum* Ezech. 14, 3; ܡܬܚܒܐ ܗܘܐ ܠܗ *captus est ab eo* Luc. 8, 29.

3) Praepositionem ܡܢ מִן recipiunt a) verba *timendi, abstinendi, silendi, fugiendi, cavendi, liberandi*, v. g. לָא תִּדַּחֲלוּן מִנְּהוֹן Deut. 1, 21; ܦܨܝܗ ܡܢ ܚܪܒܐ ܢܦܫܝ Ps. 22, 21, 22; b) saepe verba *implendi, deficiendi* et *privandi*, Prov. 1, 31. Luc. 15, 16; c) verba *obediendi* et *quaerendi*, v. g. קַבֵּל מִנַּהּ Gen. 21, 12; ܒܥܝܢ ܗܘܘ ܡܢܗ Joh. 4, 31.

4) Particulam ܥܠ עַל recipiunt:

a) verba, quae *animi habitum* designant, uti: *gaudendi, dolendi, irascendi, deridendi, decipiendi, blasphemandi, miserendi, flendi* et similia, v. g. תְּרַחֵם עֲלַי Jes. 11, 1; חֲדִי עַל קִיקָיוֹן Jon. 4, 6; בְּסַרַת עֲלוֹהִי 2. Sam. 6, 16; ܐܬܪܚܡ ܥܠܝ Math. 15, 22.

b) verba *tegendi, tuendi, parcendi* et *expiandi*, v. g. חֲפַת עֲלֵיהוֹן אַרְעָא Num. 16, 33; ܚܝܠܗ ܕܥܠܝܐ ܢܓܢ ܥܠܝܟܝ Luc. 1, 35.

c) verba *praecipiendi, praescribendi*, ut פְּקַד ܦܩܕ, ܦܩܕ ܥܠ *praescripsit.*

d) verba *gravitatem* designantia, ut: לָא נִתְיַקַּף עֲלָךְ, ܝܩܪ ܥܠܝܟ *ne molesti simus tibi* 2. Sam. 13, 25.

5) Verba *separandi* et *distinguendi* particulis בֵּין (בֵּינֵי) ܒܝܬ (ܒܝܢܬ) utuntur, ubi vero una earum bis ponenda est, alterius loco etiam ܠ ל usurpatur, v. g. בֵּין אַבָּא לִבְרַתֵּיהּ Num. 30, 17; ܡܘܬܐ ܢܦܪܘܫ ܒܝܢܝ ܘܒܝܢܟ Ruth. 1, 17.

6) ܒܬܪ בָּתַר in verbis *veniendi, eundi, currendi* etc. amant Aramaei ad notionem *sequendi* vel *persequendi* indicandam, v. g. רְדַף בָּתַר גֻּבְרַיָּא Gen. 44, 4; ܐܙܠܘ ܒܬܪܗ Math. 4, 25.

Not. Per has praepositiones verba composita exotica in lingua Aramaea circumscribuntur.

§. 71. De verbis, quae adverbiis indicandis inserviunt.

1) Nonnunquam verbum alteri ideo praeponitur, ut id accurate definiat, quo pacto adverbialiter positum esse dicunt. Utrumque vero a) verbum finitum est idque sine copula nexum, v. g. אוֹסִיף שְׁלַח יַת יוֹנָה *iterum misit Jonam,* Jon. 2, 5, ܐܘܣܦ ܐܪܥܐ ܥܢܟ *rursus gregem tuum pascam* Gen. 30, 31; aut copulâ adjectâ, ut: וְתָב . . . וַחְפַּר, ܘܗܦܟ...ܘܚܦܪ *iterum fodit* Gen. 26, 18; b) vel verbum finitum cum infinitivo jungitur, v. g. לָא תוֹסִיף לְמִתַּן חֵילָהּ *non amplius dabit virtutem suam* Gen. 4, 12 et Ps. 33, 3; Gen. 27, 20; Gen. 31, 28; Joel 2, 20. ܠܐ ܬܘܣܦܘܢ ܠܡܡܠܠܘ *ne amplius loquamini* 1. Sam. 2, 3 etc.

2) Verba ejusmodi usurpata sunt: אוֹסִיף ܐܘܣܦ *addidit* pro *iterum, amplius,* תָּב ܗܦܟ *rediit* pro *rursus,* אַסְגֵּי ܐܣܓܝ *magni fecit* pro *multum,* קַדֵּם ܩܕܡ *praevenit* pro *antea,* אוֹחִי, ܪܗܛ vel ܣܪܗܒ *cucurrit* pro *celeriter,* אוֹטֵב *benefecit* pro *bene,* אַבְאֵשׁ ܐܥܩܡ *perverse egit* pro *perverse, male.*

Not. Hac periphrasi non solum adverbia temporis et loci, sed et multae aliae circumstantiae circumscribuntur, v. g. ܐܣܓܝܬ ܫܐܠܬܐ *nimium petis* 2. Reg. 2, 10; ܐܣܓܝ ܗܘܐ ܠܡܥܬܪܘ *ditissimus evasit* 2. Chron. 26, 15.

III. CAPUT.

De Nomine.

§. 72. De Numero nominum.

1) Nomina quaedam pluralem non admittunt praecipue ea, qua res fluidas, metalla et alia hujus generis significant, si vero materia, quam denotant, pluribus constat frustis vel granis, plur. adhibetur, v. g. קִיס et ܩܝܣܐ *lignum,* קִיסִין et ܩܝ̈ܣܐ *segmenta ligni,* ܚܛܐ *triticum* et ܚ̈ܛܐ *grana tritici.*

2) Pluralem excellentiae seu majestaticum Aramaei nonnisi per imitationem linguae hebraicae agnoscunt in nominibus מָרִין et רִבּוֹנִין (ac in Chaldaismo biblico עֶלְיוֹנִין Dan. 7, 18.), ܐ̈ܠܗܐ et ܐܠܗ̈ܝܢ pro אֲדֹנָי, אֱלֹהִין vero etiam significationem pluralitatis (*idola*) admittit. Raro tamen pluralis pro singulari exceptive ponitur, ut Jud. 12, 7. et 2. Macc. 8, 26. ܡܥ̈ܠܝ ܫܒ̈ܬܐ *initium sabbati.*

3) Geminatio eorundem nominum sine copula significat aut a) multitudinem, v. g. בֵּירִין בֵּירִין Gen. 14, 10 *puteos multos,* ܣܕܪ̈ܝܢ ܣܕܪ̈ܝܢ *in permultis areolis* Marc. 6, 4; aut b) distributionem עֶדְרָא עֶדְרָא Gen. 36, 16 vel עֶדְרִין עֶדְרִין *singuli greges* vel *gregatim,* ܓܘܕ̈ܝܢ ܓܘܕ̈ܝܢ *turmatim,* praeprimis in numeralibus (cf. §. 55. C. 1.); aut c) notionem *omnis, unusquisque,* v. g. גְּבַר גְּבַר *omnis vir* Num. 9, 10; ܐܢܫ ܐܢܫ *quicunque*; aut d) intensionem seu superlativum (§. 78, 2.); aut e) diversitatem, qua in significatione Chaldaei libenter copula וְ utuntur, v. g. מַתְקַל וּמַתְקַל *varia pondera* Deut. 25, 13; יוֹמָא וְיוֹמָא *singulis diebus,* ܙܒܢ ܙܒܢ *variis temporibus,* ܡܕܡ ܡܕܡ *diversum aliquid.*

§. 73. De usu status emphatici.

1) Quoad usum articuli seu status emphatici Aramaei et praeprimis Syri ab aliis linguae semiticae dialectis recedunt; nam non solum eorum nominum, quorum status absolutus obsolevit, sed etiam permultorum aliorum forma emphatica indefinite ponitur. Nomen genitivum regens saepissime in statu emphatico ponitur, ita tamen, ut genitivo ipsi nota דְ ܕ praeponatur (cf. §. 74. 2.).

2) Cum ergo status emphatici vis paene perierit, ad ambiguitatem sermonis tollendam pronomen ܗܘ, ast nonnisi perraro usurpatur, v. g. ܒܪܢܫܐ ܗܘ ὁ ἄνθρωπος Joh. 5, 15 vel ܗܘ ܒܪܢܫܐ v. 9.

3) Generatim status emphaticus in lingua Aramaea iisdem legibus adstringitur, quae valent in Hebraismo de articulo,

nam nomina propria hominum (exceptis locorum et regionum nominibus) non utuntur statu emphatico.

Not. Ad indefinitum aliquid significandum nonnunquam adhibetur status emph. unitus cum vocabulo חַד ܚܕ (τις) *unus*, v. g. ܒܪܢܫܐ ܚܕ *homo quidam*, ܬܐܬܐ ܚܕܐ *ficus quaedam* Math. 21, 19.

§. 74. De usu status constructi et Genitivi.

1) Aramaei ad genitivum exprimendum utuntur statu constructo, praeprimis in plur. Masculinorum et in singul. Femininorum, in quibus idem formâ suâ externâ clare manifestatur, uti מַלֵּי מַלְכָּא = ܡܠܝ̈ ܡܠܟܐ, בְּנֵי יִשְׂרָאֵל = ܒܢܝ̈ ܐܝܣܪܝܠ, עֲבִידַת פּוּלְחָן Lev. 23, 25., ܕܝܢܗ ܕܡܪܝܐ, *judicium domini.*

Not. Nequaquam tamen desiderantur exempla status constructi nominum sing. masc. v. g. בֵּית יוֹסֵף *familia Joseph*, צִית־שְׁמַיָּא Gen. 28, 12; ܝܘܡ ܕܝܢܐ *dies judicii*, et plural. femin. v. g. טַעֲוָת עַמְמַיָּא Jos. 24, 23, ܩܠ ܐܠܗܐ Act. 12, 22.

2) Usitatiori ratione nomini, cujus genitivus requiritur, דְ (דִּי) ܕ praefigitur, quod si fit, nomen praecedens aut in statu emphatico, aut cum suffixo pleonastice (§. 59. B. 5. a.) ponitur, suffixum autem posterioris nominis numerum et genus sequitur, hinc: מַלְכָּא דְאַרְעָא, מְלַךְ שִׁבְטָא דְבֵית יְהוּדָה *rex tribus domus Juda*, טַבָּחַיָּא דִּי מַלְכָּא *satellites regis*, אוּכְלֵה הִמֹּ Gen. 7, 10 Jon. יְיָ אֱלָהֵיהּ דְאַבְרָהָם Gen. 28, 13. ܚܝܘܬܗ ܕܚܩܠܐ Ps. 8, 8. ܐܝܕܗ ܕܟܠܒܐ Ps. 22, 21. ܩܠܗ ܕܡܪܝܐ, ܐܠܗܗ ܕܫܘܒܚܐ Ps. 29, 3. ܗܝܡܢܘܬܗܘܢ ܕܛܝܝܐ *fides Arabum*, ܒܪܝܬܗܘܢ ܕܥܢܢܐ *creatio nubium.*

Not. a. Nonnunquam post statum constructum nota genitivi ponitur, praeprimis post stat. const. nominum peregrinorum v. g. ܗܓܡܘܢܐ ܕܐܫܩܠܘܢ *dux Ascalonis*, similiter עַשּׁוּנֵי דְמַיָּא *robora aquae*, נְהַר דִּי נוּר Dan. 7, 10; נִשְׁמַת חַיֵּי *afflatum vitae* Gen. 2, 7.

Not. b. Praeter regulam nota genitivi דְ ܕ post statum emph. omittitur, ut: מִשְׁתְּיָא נְשַׁיָּא Est. 1, 9, praeprimis, ubi nomen appositionis instar est ad aliud notâ genitivi jam definitum, v. g. ܐܬܗ ܕܝܘܢܢ ܢܒܝܐ *signum Jonae prophetae.*

Not. c. Loco notae genitivi interdum α) ܠ ✎ invenitur, v. g. ܚܦܝܐ ܠܒܝܫܘܬܗܘܢ *velamen malitiae ipsorum* Math. 5, 22; similiter in temporis ratione, v. g. בִּשְׁנַת שֶׁבַע לְיֵהוּא *anno septimo Jehu*, et sermoni hebraico analogice ad *auctorem* indicandum, praecipue in titulis Psalmorum, תּוּשְׁבַּחְתָּא לְדָוִד, ܡܙܡܘܪܐ ܠܕܘܝܕ = heb. מִזְמוֹר לְדָוִד. β) similiter eidem usui inservit מִן ܡܢ, quae praepositio originem alicujus rei ac genitivum partitivum notat, ut: ܕܗܒܐ ܡܢ ܐܘܦܝܪ *aurum ex Ophir*, ܚܕ ܡܢ ܐܣܘܬܐ *unus e medicis*, ܣܓܝܐܐ ܡܢܗܘܢ *multi eorum*, pro qua et בְּ ܒ ponitur praecedente ܕ, v. g. ܡܫܒܚܐ ܕܒܗܘܢ *insignes eorum* (pr. *insignes, qui sunt inter eos*).

3) Genitivus non solum subjective (active) sed et objective (passive) usurpatur, v. g אוּבְלָה דִמְתוּשְׁלַח *luctus de Meth.*, קְבִילַת סְדוֹם וַעֲמוֹרָה, ܓܥܬܐ ܕܣܕܘܡ ܘܕܥܡܘܪܐ *clamor de Sodoma et Gomorrha* Gen. 18, 20; ܕܚܠܬܐ ܕܡܪܝܐ *terror a Domino immissus* 1. Sam. 14, 15.

Not. Tali modo per genitivum multae aliae nominum rationes significantur, ut: ܡܒܘܠܐ ܕܢܘܚ *inundatio tempore Noae* Jes. 54, 9. אֹרַח אִילָן, ܐܘܪܚܐ ܕܐܝܠܢܐ *via ad arborem ducens* Gen. 3, 24. ܢܨܪܬ ܕܓܠܝܠܐ *Nazareth in Galilaea* Luc. 2, 4.

4) Nomen regionis, loci etc. interdum in genitivo ponitur ut: טוּרָא דְסִינָי Exod. 34, 2, 4; ܡܢ ܐܬܪܐ ܕܡܨܪܝܢ *e regione Aegypti*, ܦܢܝܬܐ ܕܚܘܪܒܐ Joël 2, 3.

5) Tandem genitivus adjectivis exprimendis inservit cf. §. 77.

§. 75. De significatione ac usu reliquorum casuum.

1) Reliqui casus praepositionibus designantur et quidem Dativus et Accusativus per ܠ (accus. saepius per יַת, יָת = heb. אֵת, אֶת) ✎, quin tamen hoc eodem signo (ܠ ✎) sermonis et casuum ambiguitas enascatur, cum ubique omnia clara et perspicua sunt; saepe accusativus nota hac caret et nonnisi e contextu eruitur. Similiter Ablativus aliarum

linguarum particulis מִן ܡܢ *a, ex,* בְּ ܒ *in, per, cum,* עִם ܥܡ *cum* etc. suppletur. Vocativus nomini in statu emph. similis e serie orationis agnoscitur, v. g. אַרְעָא דְיִשְׂרָאֵל קַבִּילִי Jerem. 22, 29; ܐܒܝ ܐܢ ܡܫܟܚܐ Matth. 26, 39; aut interjectione praemissa indicatur, v. g. ܐܘ ܐܢܬܬܐ *o mulier!* Matth. 15, 28.

Not. In Syriaca V. T. versione Peschito inveniuntur exempla particulae ܝܬ instar Chald. יַת et Heb. אֵת (אֶת) positae, v. g. Gen. 1, 1. Cant. 3, 5. Coh. 2, 3 etc.

2) Quoad usum casuum Accusativus a) objecto verborum transitivorum inservit (cf. §. 69); b) adverbialiter ponitur (cf. §. 57. 3. b.); dein c) *loci, temporis, spatii, mensurae* et *ponderis* rationes complectitur v. g. אוֹרִיךְ עוֹד שַׁבְעָא יוֹמִין *exspectabat adhuc septem dies* Gen. 8, 12; קָם פַּרְעֹה לֵילְיָא *surrexit Pharao noctu* Exod. 12, 30; תִּבִי אַרְמְלָא בֵּית אֲבוּךְ *habita vidua in domo patris tui* Gen. 38, 11; חֲמֵשׁ עַשְׂרֵי אַמִּין תְּקִיפוּ מַיָּא *quindecim cubitus invaluit aqua* Gen. 7, 20; ܩܘܐ... ܬܪܝܢ ܝܘܡܝܢ *exspectabat duos dies* Joh. 11, 6; ܐܝܡܡܐ ܘܠܠܝܐ *die noctuque* Ps. 1, 2; ܟܠ ܡܕܝܢܬܐ ܡܕܝܢܬܐ ܠܟܠܗ ܫܢܬܐ ܫܢܬܐ ܗܘܬ Barh. chron.; ܒܒܝܬ ܐܢܫ ܒܝܘܡܗ *in domo uniuscujusque die suo* Job. 1, 4; ܒܩܒܪ̈ܐ ܗܘܐ ܥܡܪ ܥܡܘܪܐ Marc. 5, 3.

Not. Nonnunquam a) in definitione temporis particula ב ܒ adhibetur, v. g. בְּלֵילְיָא ܒܠܠܝܐ *nocte* Gen. 19, 5; בְּצַפְרָא ܒܨܦܪܐ *mane* Gen. 22, 3; בְּיוֹמָא תְּלִיתָאָה Gen. 22, 4. Ad annos hominum definiendos accusativo libentur בַּר ܒܪ, בְּרַת (בַּת) ܒܪܬ praeponitur, v. g. בַּר יוֹמִין *dies aliquot natus,* אַבְרָם בַּר־תִּשְׁעִין וּתְשַׁע שְׁנִין Gen. 17, 1; ܒܪ ܚܡܫܝܢ ܫܢܝܢ Joh. 8, 57; b) directio in et ad locum interdum per ל ܠ, עַל ܥܠ indicatur, v. g. וַאֲזַלוּ לִסְדֹם Gen. 18, 22; ܐܬܐ ܠܐܘܪܫܠܡ *venit Hierosolymas;* commoratio autem in loco per בְּ ܒ, v. g. בְּמֵישְׁרֵי מַמְרֵא וְהוּא יָתֵיב בִּתְרַע Gen. 18, 1; ܩܘܐ ܒܕܘܟܬܐ Joh. 11, 6.

d) Accusativus etiam exprimit notionem specificationis, quae determinat scil. notionem specialem quidem, sed vagae adhuc qualitatis, quam Latini per *quod attinet ad, respectu, secundum* exprimunt, v. g. סַמִּיקוּ חֵזוּ *rubicundiores aspectu* Thren. 4, 7; לְחוֹד כּוּרְסֵי מַלְכוּתָא אֱהֵי יַקִּיר מִנָּךְ, ܒܠܚܘܕ

ܟܘܪܣܝܐ ܐܪܒ ܡܢܟ Gen. 41, 40, *modo quod thronum attinet, te major ero*; ܫܦܝܪ ܩܘܡܬܐ ܗܘܐ *pulcher statura erat.*

Not. In Paraphrasibus vero saepius accusativi loco particula לְ adhibetur, v. g. 2. Sam. 21, 20. 1. Reg. 15, 23.

e) Tandem accusativus ponitur post nomina deverbalia eaque α) participia (cf. §. 67. 4. B.) et β) infinitivo oriunda, ܟܒܘܫܝܐ ܕܩܘܣܛܢܛܝܢܘܦܘܠܝܣ Barh. 4, 33, *expugnatio Constantinopolis;* praecipue ubi duo genitivi post unum idemque nomen sequerentur, ambiguitatis removendae causa haec constructio adamatur.

§. 76. De casibus absolutis.

Plerumque ab initio sententiarum invenitur nomen citra omnem nexum regularem (in casu absoluto), quod latinâ formulâ *quod attinet ad* explicandum est, quae constructio ad emphasim quandam indicandam usurpatur. Huc spectant:

1) Nominativus absolutus; nomen (seu pronomen) nimirum, sive subjectum sententiae sequentis constituat, sive in alio casu positum sit, absolute ab initio sententiae ponitur ejusque locus in sermone per pronomina suppletur, v. g. וּלְחֵינְתֵּיהּ··· וִילֵידַת אַף־הִיא, ܘܦܠܓܫܬܗ... ܝܠܕܬ ܐܦ ܗܝ *concubina ejus peperit ea quoque* Gen. 22, 24; ܘܝܘܣܦ ܫܦܝܪ ܗܘܐ ܚܙܘܗ *Et Josephum quod attinet, pulchra erat facies ejus* Gen. 39, 6. מֹשֶׁה...לָא יְדַעְנָא מָה הֲוָא לֵהּ, ܡܘܫܐ.. ܠܐ ܝܕܥܝܢ ܡܢܐ ܗܘܐ ܠܗ, *nescimus quod acciderit Moysi* Exod. 32, 1. אַתְּ גְּלֵי קֳדָמָךְ *tibi notum est* Ezech. 38, 3. עַבְדִּי כָּלֵב ··· וְאַעֲלֵינֵהּ, ܘܥܒܕܝ ܟܠܒ..ܐܥܠܝܘܗܝ Num. 14, 24. ܡܘܫܐ ܓܝܪ.. ܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܟܪܘܙܐ Act. 15, 21.

2) Accusativus absolutus, v. g. וְיַת־עַמָּא אַעֲבַר יָתֵיהּ מִקִּרְוֵי לְקִרְוֵי, ܘܠܥܡܐ ܥܒܪ ܐܢܘܢ ܡܢ ܩܘܪܝܐ ܠܩܘܪܝܐ *populum duxit ab urbe in urbem* Gen. 47, 21; similiter Matth. 27, 22.

3) Reliqui casus: v. g. ܘܛܝܝܐ ܣܓܝܐܐ ܦܣܩܘ ܐܕܢܝܗܘܢ.. *et multorum Arabum absciderunt aures (eorum)* Barh. chron.

ܡܢ ܐܝܠܢܐ ܕܝܕܥܬܐ ܕܛܒܬܐ ܘܕܒܝܫܬܐ ܠܐ ܬܐܟܘܠ ,וּמֵאִילָן ····· לָא תֵיכוּל מִנֵּיהּ ܡܢܗ *ab arbore intelligentiae boni et mali ne edas (ab ea)* Gen. 2, 17.

Not. Interdum nomen absolute positum in sequentibus repetitur, v. g. ܘܥܡܡܐ .... ܐܦܩܕ ܥܠ ܥܡܡܐ ܗܘ *et quod populum attinet, — in eum populum animadvertam* Jerem. 27, 8.

§. 77. De Adjectivis.

1) Aramaeis quidem adjectivorum formae non plane sunt incognitae, nihilominus substantivis eorundem defectum solent complere iisque praecipue abstractis, ita ut substantivum adjectivi loco in genitivo positum nomen regens excipiat, v. g. מָאנֵי קֻדְשָׁא, ܡܐܢܝ ܩܘܕܫܐ *vasa sacra* 1. Chron. 22, 19. אֲרִיסָא דְמוֹתָא *venenum mortiferum*, לְבוּשִׁין דִּיקָר *vestimenta pretiosa* Gen. 3, 21 Onk. קְיָם עָלַם *foedus sempiternum.* ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ *spiritus sanctus*, ܐܕܢܐ ܕܝܡܝܢܐ *auris dextera;* tali modo praeprimis adjectiva formantur, quae materiem alicujus rei significant, v. g. צְלֵם דַּהֲבָא *imago aurea* Dan. 3, 5. חוּטְרָא דְפַרְזְלָא *virga ferrea*, ܬܢܘܪܐ ܕܣܐܡܐ *clibanus argenteus* Barh. chron., ܟܠܝܠܐ ܕܟܘܒܐ *corona spinea* Matth. 27, 29.

Not. Etiam adjectivum praedicati vices gerens eodem modo exprimitur, v. g. ܐܢܐ ܕܝܢ ܕܒܣܪ ܐܢܐ *ego (carnis) carnalis sum* Rom. 7, 14. ܐܝܠܝܢ ܕܐܠܗܐ *ea, quae Dei* (i. e. *divina*) *sunt* Heb. 2, 17.

2) Rarius substantivo qualitatis primus tribuitur locus, quando sc. emphatice efferendum est, v. g. בִּתְקוֹף יַד *manu forti* Exod. 13, 3; id quod praecipue de ܟܠ כֹּל (pr. *universitas*) *omnis* valet, quae vox in Syriaco suffixum pleonastice positum amat, v. g. כָּל עַמְמֵי אַרְעָא *omnes populi terrae* Gen. 22, 17; ܟܠܗܘܢ ܫܪܒܬܐ *omnes generationes.*

3) Adjectiva *possessionis*, *consuetudinis*, *similitudinis* et alia ejusmodi periphrastice indicantur, quem in finem quaedam potissimum nomina adhibentur eaque: ܒܪ בַּר *filius*, בְּרַת (בַּת) ܒܪܬ *filia*, גְּבַר *vir*, ܒܥܠ בְּעֵל *dominus*, מָרֵי ܡܪܐ et ܡܪܝܐ *dominus, possessor*, ܪܫ *caput*, ܒܝܬܐ בֵּית (c. ܒܝܬ) *domus*, v. g. בְּנֵי מְדִינְתָּא

8*

Orientales, בַּר שַׁתָּא *unum annum natus,* גְּבַר דְּמִלּוֹל *vir sermonis* i. e. *facundus,* מָרֵי חֶלְמַיָּא *somniator,* בְּעֵל דְּבָבָא *inimicus,* בְּעֵל סַעֲרָן *pilosus,* בֵּית אֲסִירַיָּא *carcer,* בֵּית קְבוּרְתָּא *sepulcrum,* ܒܪ ܗܪܣܝܣ *haereticus,* ܒܪ ܫܘܪܐ *(filius muri) fossa,* ܒܪ ܛܘܗܡܐ *consanguineus,* ܒܪܬ ܚܐܪܐ *libera,* ܒܥܠܕܒܒܐ *inimicus,* ܒܪ ܬܚܘܡܐ *finitimus,* ܒܢ̈ܝ ܥܘܬܪܐ *divites,* ܪܒ ܒܝܬܐ ὁ οἰκονόμος, ܪܝܫ ܟܘܡܪ̈ܐ ὁ ἀρχιερεύς.

4) Nonnulla adjectiva substantivorum vicibus funguntur, ubi neutraliter i. e. pro abstractis posita sunt, v. g. ܝܘܡܐ ܕܛܒܬܐ *dies bonus* pr. *bonitatis.*

§. 78. De Adjectivorum gradibus.

1) Comparativus particulâ מִן, ܡܢ ante vocem comparatam positâ indicatur, v. g. עָרִים מִכֹּל חֵיוַת בָּרָא *callidior omnibus bestiis agri* Gen. 3, 1; הָא חַכִּים אַתְּ מִדָּנִיֵּאל Ezech. 28, 3; *ecce sapientior es tu Daniele;* ܐܒܝ ܓܝܪ ܡܢ ܟܠ ܪܒ ܗܘ *pater enim meus omnibus major est* Joh. 10, 29. Nonnunquam יַתִּיר (יוֹתֵר) ܝܬܝܪ *magis,* ܛܒ *valde,* סַגִּי ܣܓܝ *multum* praeter particulam מִן ܡܢ hoc consilio usurpantur, v. g. טָב שְׁמָא טָבָא יַתִּיר מִמִּשְׁחָא *melius est nomen bonum, quam unguentum* Coh. 7, 2. ܛܘܒܘܗܝ ܠܐܝܢܐ ܕܝܗܒ ܝܬܝܪ ܡܢ ܐܝܢܐ ܕܢܣܒ *beatior est qui dat accipiente* Act. 20, 35.

Raro Positivus solus ponitur pro Comparativo, ut: ܕܢܣܒ ܐܚ̈ܘܬܟܝ ܪ̈ܒܬܐ ܥܡ ܙܥܘܪ̈ܬܐ *cum receperit sorores tuas majores cum minoribus tuis* Ez. 16, 61.

• Not. Comparativus, quem adjectiva aut verba notâ מִן, ܡܢ efficiunt, interdum aliter explicandus est, praeprimis ante infinitivos particula לְ, ܠ instructos (per: *quam ut*), v. g. סַגִּי חוֹבִי מִלְּמִשְׁבַּק, ܪܒܐ ܗܝ ܚܛܝܬܝ ܡܢ ܠܡܫܬܒܩܘ *peccatum meum nimium est, quam ut queat condonari* Gen. 4, 13.

2) Superlativus in Aramaeo linguae hebraicae instar vario exprimitur modo: a) positivo, quem genitivus plur. nominis sequitur, v. g. שְׁפַל אֲנָשִׁים, ܡܟܝܟ ܐ̱ܢܫܐ *hominum abjectissimus* Dan. 4, 15. Loco genitivi sequentis etiam pluralis

(seu collectivum) cum בְּ ܒ usurpatur, ut: שְׁרָיִן בְּעַמָּא *stultissimi* Ps. 94, 8. ܒܨܝܪܐ ܒܡܠܟܘܬܐ Math. 2, 6: *minima inter reges (regias urbes)*; b) geminatione adjectivorum in statu const. junctorum, v. g. קֹדֶשׁ קוּדְשִׁין, ܩܘܕܫ ܩܘܕܫܐ *sanctum sanctorum* Exod. 26, 33; imo repetitione nominum in genitivo positorum, v. g. שְׁמֵי שְׁמַיָּא *coeli altissimi* Lev. 24, 9; מֶלֶךְ מַלְכַיָּא, ܡܠܟ ܡܠܟܐ *rex potentissimus* Dan. 2, 37; ܕܪ ܕܪܝܢ *omnes generationes*; c) nonnunquam per adverbia יַתִּיר, ܝܬܝܪ, ܛܒ et ܣܓܝ ante adjectiva posita, v. g. ܟܐܦܐ ܛܒ ܡܝܩܪܬܐ *lapis pretiosissimus* Apoc. 21, 11.

Not. A superlativo se differt intensio, quae a) aut geminatione nominum: טָב טָב *valde bonum*, ܒܝܫ ܒܝܫ *valde malum*, aut b) peculiaribus formis exprimitur, ut: תַּקִּין לַחֲדָא Gen. 1, 31. סַגִּיאָן לַחֲדָא Ezech. 37, 2. ܪܒ ܐܣܘܬܐ *praestantissimus medicus*, ܡܕܝܢܬܐ ܡܪܬ ܡܠܟ *regina* i. e. *maxima urbium* etc.

§. 79. De constructione Numeralium.

1) Numeralia Cardinalia a 2—10 rem numeratam modo praecedunt modo sequuntur, et quidem nomen numerali postpositum in statu absoluto, v. g. שִׁבְעָא יוֹמִין חֲמֵשׁ סִלְעִין Lev. 27, 6; ܬܪܝܢ ܐܢܫܝܢ, praepositum autem in statu emph. vulgo locatur, v. g. ܬܠܬܐ ܝܘܡܝܢ; inveniuntur tamen exempla ab hac regula recedentia, ut: תְּלָתָא גֻּבְרִין, ܐܪܒܥܐ ܐܠܦܝܢ ܓܒܪܝܢ 4000 *viri*. Rarius numerale in statu constructo cum re numerata jungitur, ut: תְּשַׁעַת שִׁבְטִין Num. 34, 13 Onk. ܥܣܪ ܡܕܝܢܬܐ *decem urbes* Matth. 4, 25.

2) Cardinalia inde ab 11 substantivis plural. praeponuntur, v. g. תְּרֵי עֲשַׂר גֻּבְרִין, ܬܪܥܣܪ ܓܒܪܝܢ Num. 1, 44; non raro tamen decades rem numeratam sequuntur, cf. Gen. 32, 14. sq.

3) Ordinalia tanquam adjectiva substantivis suis junguntur et eodem genere et numero utuntur; non raro tamen eorum vicibus cardinalia funguntur, aut in statu absol. rei numeratae apposita, ܫܥܬܐ ܬܠܬ *hora tertia*, aut eam rem in genitivo recipientia, v. g. בִּשְׁנַת שְׁבַע *anno septimo* 2. Reg. 12, 1; ܫܢܬ ܐܪܒܥܝܢ *anno* 40.

Not. a. In nonnullis *mensurae*, *ponderis* et *temporis* definitionibus vocabulum, quo numerale arctius describatur, omnino omittitur, v. g. בְּעֶשְׂרִין כְּסַף *viginti argenteis* (sc. סִלְעִין *siclis*) Gen. 37, 28; ܬܠܬܝܢ ܕܟܣܦܐ Matth. 27, 3. בְּתִשְׁעָא לְיַרְחָא sc. יוֹמָא Lev. 23, 32. ܒܥܣܪܝܢ ܘܫܒܥܐ ܒܗ ܒܝܪܚܐ Gen. 8, 14.

Not. b. Cardinalia cum ܕ juncta vim Ordinalium nanciscuntur, v. g. ܕܬܪܝܢ *secundus*, ܒܫܢܬܐ ܕܬܪܬܝܢ *anno secundo.*

IV. CAPUT.

De Particulis.

§. 80. De Praepositionibus.

1) Praepositiones nominibus praecedentes ante appositionem interdum omittuntur, v. g. לַאֲבִיגַיִל אֵשֶׁת נָבָל 1. Sam. 25, 14; ܠܢܝܢܘܐ ܡܕܝܢܬܐ ܪܒܬܐ Jon. 1, 2; בְּיוֹנָתָן בְּנִי 1. Sam. 14, 39; ܠܗܘ ܙܕܝܩܐ Matth. 27, 19; quod et locum habet ante nomina per copulam juncta, v. g. אָנֹכִי עָפָר וָאֵפֶר Gen. 18, 27; ܥܦܪܐ ܐܢܐ ܘܩܛܡܐ ܠܡܪܬܐ ܘܠܚܬܗ... Joh. 11, 5; e contra אַחִית מִיטְרִין עַל סְדוֹם וְעַל עֲמוֹרָה Gen. 19, 24 Jon. ܒܐܝܩܪܐ ܘܫܘܒܚܐ ܟܠܠܬܝܗܝ Ps. 8, 6.

Not. Quaedam praepositiones peculiari utuntur consecutione, ut: בֵּין...לְ, ܒܝܬ...ܠ *inter... et inter*, v. g. בֵּין גְּבַרָא לְאִתְּתֵיהּ Num. 30, 17; בֵּין אַבָּא לִבְרַתֵּיהּ; ܒܝܬ ܗܝܟܠܐ ܠܡܕܒܚܐ Luc. 11, 51; et ܡܢ ... ܥܕܡܐ *inde...usque* Gen. 6, 7.

2) Praepositiones variae uni eidemque verbo junctae varias huic tribuunt significationes, v. g. a) מַלֵּל ܡܠܠ ܠ const. cum dativo vel עִם ܥܡ significat *alloqui*, cum עַל ܥܠ *promittere*; b) פַּקֵּד ܦܩܕ *praecipere*, cum accus. et עַל ܥܠ *praeficere*; c) שְׁאַל ܫܐܠ ܠ *quaerere* cum מִן ܡܢ *petere*, cum לְ ܠ pers. et בְּ ܒ rei *interrogare aliquem de re;* d) אוֹדִי ܐܘܕܝ (Aph. ab יְדָא ܝܕܐ) cum accus. *confiteri*, cum בְּ ܒ vel קֳדָם ܩܕܡ *laudare*; e) מְטָא ܡܛܐ cum ל ܠ significat *attingere*, cum עַד ܠ, ܥܕܡܐ *pervenire*, cum עַל ܥܠ *irruere* et alia.

§. 81. De Adverbiis.

1) Adverbia adjectivorum more cum substantivis jungenda substantivo aut postponuntur, ut: קֵיסֵי אַרְזַיָּא סַגִּי 1. Chron. 22, 44; ܩܝ̈ܣܐ ܣܓܝܐܬ, aut praeponuntur, v. g. זְעֵיר מַיָּא, ܩܠܝܠ ܡܝܐ *aliquid aquae* Gen. 18, 9.

Not. De verbis adverbialiter positis cf. §. 71.

2) Geminatione adverbiorum pariter ac nominum (§. 78. 2. Not.) saepe a) intensio indicatur, v. g. לַחֲדָא לַחֲדָא *valde nimis*, סְחוֹר סְחוֹר *circumcirca*, ܒܝܫ ܒܝܫ *pessime;* aut b) progressus et incrementum, ut: זְעֵיר זְעֵיר, ܩܠܝܠ ܩܠܝܠ *sensim sensimque, paulatim;* aut c) diversitas praecipue in adverbiis loci, ut: מִיכָּא וּמִיכָּא *hic et ibi*, ܠܟܐ ܘܠܟܐ *huc et illuc*.

3) A negationibus לָא, ܠܐ et ܠܐ differt לַיִת ܠܝܬ *non est*, quod verbum subst. includens nonnisi participio apponitur. Particula negationis reduplicata (Graecismi instar) confortat negationem, v. g. ܠܐ ܡܫܝܚܐ ܠܐ ܐܝܬܝ *non, per Christum, non sum!* Post verba *timendi* particulae דְּלָא ,ܕܠܐ, דִּלְמָא ,ܕܠܡܐ correspondent Latinorum particulae *ne*.

Not. לָא ܠܐ adjectivis et participiis praepositum privativam vel negativam tribuit significationem, v. g. לָא חַכִּים, ܠܐ ܡܣܬܟܠ *insipiens*, ܠܐ ܡܕܡ *nihil*, ܠܐ ܡܫܟܚ *impossibile*.

§. 82. De Conjunctionibus.

Cum Aramaei sicut ceteri Semitae conjunctionibus haud multis gaudent, hinc periodi longiores primariis ac secundariis sententiis ornatae haud crebro inveniuntur, conjunctionibus tamen eorum plures tribuuntur significationes:

1) Omittuntur haud raro conjunctiones a) sententiae alicui ad rationem, quae ei et sequenti intercedat, indicandam additae: *si*, *quum* etc. positâ solummodo copulâ וְ ܘ, v. g. שִׁמְשָׁא נְפַק···וְלוֹט עַל, ܫܡܫܐ ܢܦܩ . . . ܘܠܘܛ ܥܠ *sole oriente . . . Loth venit* Gen. 19, 23. b) interdum, si quis animo commoto lo-

quitur, copula omittitur, v. g. ܗܦܟ ܐܙܠ ܝܬܒ *retro se convertit, profectus est, sedit* Jes. 37, 37; c) omittitur plerumque conjunctio *aut*, v. g. תְּרֵין תְּלָתָא גַּוְזָאִין, ܬܪ̈ܝܢ ܬܠܬܐ ܡܗܝܡ̈ܢܐ *duo vel tres Eunuchi* 2. Reg. 9, 32.

2) Conjunctiones **correlatae** per conjunctiones in eadem sententia bis aut pluries positas exprimuntur, v. g. ו ܘ...ו ܘ *et...et*, אִין...אִין, ܐܢ...ܐܢ *sive...sive*, אַף...אַף, ܐܦ...ܐܦ *tam...quam*.

3) Conjunctiones *ut* et *ne* significantes futurum amant (§. 64. d.); si vero דְּ, ܕ *quod, quia* significat plerumque cum praeterito construitur, v. g. דְּסָאִיבוּ אֲחָתְהוֹן, ܡܛܠ ܕܛܡܐܘܗ ܠܕܝܢܐ *quia sororem suam Dinam contaminarunt* Gen. 34, 27.

Not. a. Maxima significatus varietate gaudet particula דְּ (דִּי) ܕ: a) est enim nota genitivi (§. 74. 2), b) pronomen relativum (§. 16. B.), c) ex cardinalibus numeralibus facit ordinalia (§. 79. 3. Not. b.), d) particulis nexa conjunctionis vim tribuit, v. g. כַּדִּי *quum*, מִדְּדִי ; ܡܢ ܕ *ex quo (tempore)*, חֲלַף דְּ ; ܡܛܠ *quia*, מְטוּל דְּ ; ܡܛܠ ܗܕܐ *propterea quod* (cf. §. 58. 1. c.); e) persaepe post verba *dicendi, narrandi, sciendi* et alia hujus generis orationem **directam** indicat, v. g. (*ita dixit ei*) דִּי הַשְׁכַּחַת גְּבַר *vir repertus est* Dan. 2, 25. (cf. v. 37; 5, 7; 6, 6, 14), ܕܗܐ ܒܬܘܠܬܐ ܬܒܛܢ *ecce virgo concipiet* Matth. 1, 23; imo et indirectam, v. g. (*dic fratri meo*) ܕܢܦܠܓ *ut dividat* Luc. 12, 13. Saepius tamen in Paraphrasibus oratio directa per לְמֵימַר introducitur.

Not. b. ו ܘ praeter significationes tritas a) *et, ast, tamen, videlicet, cum* b) notat etiam *ut*, v. g. נֵיזִיל....וְנִדְבַּח ܢܐܙܠ....ܘܢܕܒܘܚ *abibimus, ut sacrificemus* Exod. 3, 18. (§. 64. 3. d. β.) c) interdum ab initio apodoseos ab Aramaeis ponitur, v. g. Gen. 32, 8; Exod. 4, 8; Jos. 24, 29; Num. 20, 19; Ps. 45, 18.

§. 83. De Interjectionibus.

Interjectiones, quae *minas* designant, praepositione ܠ ל plerumque utuntur, v. g. ܐܘܗ ܠܝܘܡܐ *eheu diem istum!* Ezech. 30, 2; וַי לָנָא ܘܝ ܠܢ *vae nobis!* 1. Sam. 4, 8; interdum ܥܠ עַל v. g. וַי עֲלֵיהוֹן ܘܝ ܥܠܝܗܘܢ *vae illis!* Jerem. 50, 27; aut מִן ܡܢ

v. g. מִן קֳדָם יוֹמָא Ezech. 30, 2; aut absolute ponuntur, ut: 2. Reg. 3, 10; sine praepositione exclamationes luctum seu lamentationem exprimunt, v. g. וַי בְּרַתִּי, ܐܘܗ ܒܪܬܝ *heu filia mea!* Jud. 11, 35; similiter 2. Reg. 6, 15; 1. Reg. 13, 30.

Not. a. ܚܤ nexum ܠ personae et verbo finito cum ܕ munito, respondens chaldaico מַל sequente infinitivo, significat *absit, ut*, vel *ne*, v. g. דִּינָךְ מִלְּמֶיעְבַּד *absit a te ut facias* Gen. 18, 25; ܚܤ ܠܟ ܕܬܥܒܕ ...חָס לֶאֱלָהָא מִן *absit ab eo, ut faciat* Job. 34, 10.

Not. b. ܛܘܒܐ טוּב *bene* (pr. *felicitas*) recipit nominum more suffixa (pluralia in Syriaco) et construitur plerumque cum דְּ ܕ vel ܠ personae, ut: Ps. 1, 1. טוּבֵיהּ דְּגַבַּר, ܛܘܒܘܗܝ ܠܓܒܪܐ *bene actum est cum viro* i. e. *beatus vir!* interdum vero absolute usurpatur, v. g. טוּבָךְ יִשְׂרָאֵל, ܛܘܒܝܟ ܐܝܣܪܝܠ *o te felicem Israel!* Deut. 33, 29.

SECTIO SECUNDA.

De enunciationum connexu.

§. 84. De Substantivi et Adjectivi conjunctione.

1) Adjectivum substantivis aut tanquam epitheton adjicitur, aut tanquam sententiae praedicatum; ubi epitheton nominis constituit, hoc excipere solet eodem numero et genere utens, quod et valet de pronominibus et participiis adjectivorum more construendis, v. g. נְהוֹרִין רַבְרְבִין *lumina magna* Gen. 1, 16; מִלָּה כִּדְבָה Dan. 2, 9; אַבְנָא רַבְּתָא Jos. 24, 26; ܡܢܪ̈ܬܐ ܐܚܪ̈ܢܝܬܐ ܙܥܘܪ̈ܬܐ *lampades aliae parvae*, ܕܗܒܐ ܗܢܐ *hoc aurum.*

Not. a. Non raro pronomina demonst. substantivis praeponuntur, v. g. ܗܘ ܝܘܡܐ *hic dies*, imo et alia adjectiva emphasis causa, v. g. מְשַׁקַּרְיָא אֲחָתְהוֹן דְּבֵית יְהוּדָה, ܫܩܪܬܐ ܚܬܗ ܝܗܘܕܐ Jerem. 3, 8, 10.

Not. b. Nonnunquam substantivum inter et adjectivum vocula inseritur, v. g. ܡܠܟܐ ܕܝܢ ܪܒܐ *magnus vero rex.*

Not. c. Excipiuntur ab hac regula substantiva collectiva, quae in singulari posita adjectivum in plurali recipiunt; tale

nomen generis femin. tum etiam adjectiva plur. masc. assumit, cum quae collectivum comprehendit generis masc. sunt (constructio ad sensum), v. g. בֵּית דָּוִד אָזְלִין וְחַזְקִין 2. Sam. 3, 1; ܡܫܪܝܬܐ ܕܡܟܢܫܝܢ *exercitus congregatus*.

2) Ubi adjectivum praedicati munere fungitur, suo substantivo in statu absoluto (nunquam vero in empbatico) praemitti solet eodem genere et numero utens, v. g. טָב שְׁמָא טָבָא Coh. 7, 2; ܕܪܓܝܓ ܐܝܠܢܐ Gen. 3, 6.

Not. Interdum tamen praedicatum suo substantivo et postponitur, v. g. קַרְתָּא הָדָא קְרִיבָא, ܗܐ ܡܕܝܢܬܐ ܗܕܐ ܩܪܝܒܐ ܗܝ Gen. 19, 20.

3) Ubi pluribus substantivis diversi generis copulâ connexis adjectivum (sive epitbeton sive praedicatum) adjungitur, plerumque genus masculin. praefertur et pluralis adhibetur, v. g. וּבְנוֹי וּבְנָתֵיהּ אָכְלִין וְשָׁתְיָן, ܒܢܘܗܝ ܘܒܢܬܗ ܐܟܠܝܢ ܗܘܘ ܘܫܬܝܢ Job. 1, 13.

Not. a. Pluralia tantum adjectivum vel propter sensum in sing. vel propter formam in plur. recipiunt, v. g. מַיָּא... מְרִירִין Exod. 15, 23. ܐܦܬܐ ܕܬܪܥܐ ܕܡܬܦܫܛ *velum januae protensum* Num. 4, 5; ܡܢ ܚܝ̈ܐ ܗܠܝܢ *ex hac vita*.

Not. b. Pro neutro adjectivorum femininum sing. solet adhiberi, v. g. חֲדָא בְּעֵיתִי, ܚܕܐ ܫܐܠܬ *unum petii* Ps. 27, 4; vel plur. v. g. פְּרִישָׁן *mirabilia*, ܬܗܪ̈ܬܐ et ܛܒ̈ܬܐ τὸ ἀγαθόν.

4) Si adjectum per substantivum arctioribus circumscribitur finibus, illud in statu constructo ponitur, v. g. חַכִּימֵי לְבָא *sapientes mente* Job 34, 34; שַׁפִּירַת חֵיזוּ *pulchra aspectu* Est. 1, 11; ܟܪܝܗܬ ܚܘܒܐ *aegra amore* Cant. 2, 5; ܩܫܝ̈ ܩܕܠܐ *duri cervice* Act. 7, 51. Nonnunquam et accusativus hunc in finem adbibetur, vel praepositio ܒ בְּ (cf. §. 75. 2. d. et Not.).

§. 85. De verbi cum substantivo conjunctione.

Quamquam verbum cum subjecto numero et genere convenire solet, tamen quaedam exceptiones ab hac regula sunt notandae.

A. Subjecti et verbi diversitas in Numero obvia.

1) Non solum singularia sive masc. sive femin. vere collectiva, sed etiam nomina collective posita propter sensum cum Plurali verbi construuntur, v.g. גָּלוּת יְהוּדָה דְּאִתְגְּלִיאוּ, ܫܒܝܬܐ ܕܝܗܘܕܐ ܕܐܙܠܘ Jerem. 28, 4, vel שַׁלַּח יַת־עַמִּי דִּיחָגּוּן Exod, 5, 1; ܟܠܗ ܙܪܥܗ ܕܝܥܩܘܒ ܐܫܬܒܚܘܗܝ Ps. 22, 24. (cf. §. 84. 1.).

Not. a. Nonnunquam utraque collectivorum structura et cum sing. et cum plur. verbi in eodem vocum nexu simul usurpatur, v.g. אֲמַר שְׁטְיָא...חַבִּילוּ, ܐܡܪ ܣܟܠܐ...ܐܬܚܒܠܘ Ps. 14, 1. (cf. Levit. 9, 24.)

Not. b. Pluralia tantum tam cum sing. quam plurali verbi construi possunt (cf. §. 84. 3. Not. a.) v. g. וְלָא יְהוֹן עוֹד מַיָּא, ܘܠܐ ܢܗܘܘܢ ܬܘܒ ܡܝܐ Gen. 9, 15; ܫܡܝܐ ܡܫܬܥܝܢ ܗܘܘ ܬܫܒܘܚܬܐ Ps. 19, 1.

2) Verbum singul. etiam cum nomine plurali conjungi potest, et quidem ubi verbum praecedit et quasi impersonaliter ponitur, v. g. וַהֲוָא לִפְנִנָּה בְּנִין et ܗܘܐ ܠܗ ܒܢܝܐ 1. Sam. 1, 2; וּגְלִיף...כְּרוּבִין et ܘܨܝܪ...ܟܪܘܒܐ Ezech. 41, 25.

Not. Raro id fit verbo nomen sequente, v. g. ܩܫܝܫܐ ܕܒܪ *seniores rexerunt.*

3) Dualis (praecipue quatuor vocum syriacarum) cum plur. praedicati construitur praeter ܡܨܪܝܢ *Aegyptus,* quae vox propter suam significationem etiam cum singul. praedicati conjuncta invenitur.

B. Subjecti et praedicati diversitas in Genere obvia.

1) Nomina femin. et sing. et plur. nonnunquam verbo masculini generis utuntur eoque praecedente aut sequente כָּל־נְשַׁיָּא יִתְּנוּן Est. 1, 20, et quidem a) ea, quae alius generis sunt, quam quod terminatio indicat, v. g. ܢܐܬܘܢ ܝܘܡܬܐ *venient dies;* b) alia propter tropicam significationem, ut ܡܠܬܐ *verbum,* ubi ad Christum refertur, construuntur cum masc. v. g. ܐܠܗܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܡܠܬܐ Joh. 1, 1; similiter in Chaldaico מֵימְרָא דַּייָ; c) si abstracta pro concretis sunt posita; cf. exemplum A. 1. גָּלוּת ܫܒܝܬܐ *captivitas pro captivis.*

2) Nomina **masc.** interdum cum verbo **femin.** conjunguntur, et quidem ea, quae alius generis sunt, quam quod terminatio indicat, cf. §. 47. 3.

3) Substantiva nonnunquam in eadem sententia cum verbo masc. et femin. simul conjunguntur, v. g. כָּל־מִנְחָתָא...לָא תִתְעֲבֵד חֲמִיעַ Lev. 2, 11; ܓܙܪܐ ܗܘ ܪܗܛ... ܘܚܢܩܘ Matth. 8, 32.

C. Subjecti et verbi diversitas in Genere et Numero obvia.

Collectiva praeprimis **feminina** saepe cum verbi **plur. masc.** conjunguntur (ad sensum solum), v. g. כָּל־עַמָּא עָבְרִין *omnis populus transibat* 2. Sam. 15, 23; ܟܠܗ ܐܪܥܐ ܐܬܘ *omnis terra (populus) venit* Gen. 41, 57, similiter ܛܝܝܐ *Arabismus* pro *Arabes* etc.

2) **Pluralis** nominis **fem.** interdum cum verbi **singulari masc.** conjungitur, sive hoc praecedat, sive subsequatur, v. g. כָּל זַרְעֲיָתָא דִּי אִשְׁתְּאַרָא *omnes familiae quae reliquae fuerint* Zach. 12, 14; ܩܘܪܝܐ ܕܬܝܡܢܐ ܐܬܬܚܕ *civitates Austri captae sunt* Jerem. 13, 18.

Not. Rarissime verbum in sing. fem. cum nomine plur. masc. construitur.

D. Subjectorum plurium cum praedicatis suis conjunctio.

1) Ex ordinaria subjectorum e nominativo et genitivo compositorum structura praedicati genus numerusque nomini **regenti** (nominativo) respondent, sed nonnunquam praedicatum nominis **recti** (genitivi) numerum et genus sequitur (constructio ad sensum), praesertim si primaria in eo versatur notio, v. g. ܣܘܓܐܐ ܕܫܢܝܐ ܡܠܦܝܢ *anni multi docebunt* Job. 32, 7, quae constructio praecipue convenit nomini a substantivo כֹּל ܟܠ in significatione: *omnis, totus*, recto ut: כָּל־דַּיָּרֵי־אַרְעָא אֲתוֹ Gen. 42, 56; ܢܦܩܬ ܟܠܗ ܡܕܝܢܬܐ *egressa est universa civitas* Matth. 8, 34.

